



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Digitized by Google





Jiji

BIBLIOTHEEK RU GRONINGEN



2222 5052

Digitized by Google

ep dono Viri honoratissimi Pro. T. Schierbecke.  
Ipmis que. 1830.

P O S I T I O N E S  
G R O T I A N A E  
IVRISNAT. ET GENT.

---

FRANCVERAE, ANNO clo b c c x x V I I .



A V D I T O R I B V S  
I V R I S P V B L I C I .

---

**N**E qua in re muneri meo deesse viderer,  
ORNATISSIMI IVVENES , una  
cum systemate Iuris Civilis privati, sub-  
limiorem quoque Publicae Iurisprudentiae  
disciplinam, illi naturaliter velut coniunctam, Vo-  
bis tradere consuevi; non solum communem illam  
totius generis humani, quae Naturae Gentiumque  
Iuris adpellatione venit; sed alteram quoque Re-  
rumpublicarum propriam, quae Publici Iuris titu-  
lo insigniri vulgo solet.

Initium ab Opere fecimus Grotiano , ex quo  
velut fonte, aliorum conatus omnium, quasi totidem  
rivuli, alii aliis turbidatiores, limosioresque, deri-  
vati fuerunt. Indenos, aliorum exemplo, praecipua  
Naturalis Iuris capita, ac positiones velut genera-  
liores, Vestrum in usum excerptas, & scholiis pas-  
sim illustratas, publicis exercitiis ventilare iam pri-  
dem coepimus.

Eo autem consilio has nostri laboris primitias,  
libri primi materiam complexas, atque uno colle-  
ctas fasciculo, Vobis offerre volui; ut animos Vo-  
bis adderem, ad librum quoque secundum & ter-  
tium divini illius operis, pari diligentia a me per-  
tractandum, Vestram mibi operam commodandi.

Nul-

*Nullus etiam dubito, quin & sponte vestra impulsi,  
& priorum incitati laudibus, huius me voti compo-  
tem brevi sitis reddituri. Valete interim, OPTI-  
MI IVVENES, nostrisque porro laboribus favere  
pergite. FRANEQVERAE, VII kalendas Mar-  
tias anni CICCI CCCCXCVIII.*

N O M I N A  
D E F E N D E N T I V M.

---

D. T H. NIEVWENHVIS,  
*Harlingâ-Frisius.*

D. PETRVS WIGERI,  
*Leovardiensis.*

D. GVLIELMVS COVLON,  
*Leovardiensis.*

P O-



POSITIONES  
IVRIS NAT. & GENTIVM  
GROTIANAE.

---

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*Quid Bellum: quid Ius?*

I.

 Ontroversiae eorum, quos nulla Iuris Gentium Civilis tenet communio; aut ad *Pa-* contro-  
*cis*, aut ad *Belli tempora perte-* versiae.  
nent.

Aristoteles lib. I. Polit. cap. 3. *ετος*, inquit, ὁ πολιτι-  
κὸς

## POSITIONES IVRIS NATVRAE.

κὸς βίος γίνεται διηρημένος ἐis τε τὸν πόλεμον χρεί-  
αν, καὶ τὸν εἰρήνην. *Haec vita civilis tributa est in*  
*usum belli & pacis.* Conf. Idem lib. vii. cap. 14.  
Libanius in *Progymnasm.* p. 5. edit. Paris. Δύο καίροι  
πάντα διαιτῶσι τὰ τῶν ανθρώπων πράγματα, λέ-  
γω δὴ πόλεμον καὶ εἰρήνην. Sunt tempora duo, penes  
quae totius vitae est arbitrium, pacis nempe & belli.  
Addes. Eund. in *Orat. adversus Adsid.* apud Ma-  
gistr. sub init. Vid. & Iustinianus pr. *Prooem. Instit.*  
*Ibiq. Rittersh.*

## I I.

Belli de- *Bellum est status per vim certantium, qua ta-*  
*finitio.* *les sunt.*

*Pax* quippe est *status* ille, quo homines inter se quie-  
te, & citra iniurias violentas agunt, & quae invi-  
cem debent, velut ex obligatione & ultro praestant.  
*Bellum* contra est *status* iniurias violentas mutuo in-  
ferentium & propulsantium, aut quae sibi debentur,  
vi extorquere nitentium. Ita Pufendorf in *Op. Mai.*  
lib. i. cap. i. § 8.

Etymo-  
logia. Nominis origo est ex voce veteri *Duellum*, quod  
a duobus dictum, simili sensu, quo pacem unita-  
tem dicimus.

Scaliger lib. iii. Poëtices, cap. 90. *Bellum*, inquit,  
quod minime sit bellum: nos, quia fuit initio *Duellum*  
a duobus. Nam licet multi sint milites, duas tamen  
partes sunt, & inter eos tantum primum bellum fuit.  
Conf.

## LIBER I. CAPVT I.

3

Conf. praeter Ciceronem in *Orat. ad Brut.* cap. 45.  
vetus comment. Horatii *ad lib. I. Epist. II. §. 7.*  
*ed. Cruq.* & Caius in *I. 234. pr. D. de Verb. Signif.*

## III.

*Iuris significatio una est actionis, qua nihil a-* significatio iuris prima.  
*liud quam quod iustum est significat; idque ne-*  
*gante magis sensu, quam aiente, ut *Ius* sit, quod*  
*iniustum non est.*

Grotius *de Satisf. Christi*, cap. 3. p. 49. *Sciendum*,  
 inquit, est, non sequi iniustum ex quavis negatione  
*iusti, etiam positis iisdem circumstantiis: quemadmo-*  
*dum enim non sequitur, si liberalis Rex dicendus est, qui*  
*alicui mille talenta dederit, ideo si non dederit, illibe-*  
*ralem fore: ita non est perpetuum, ut id quod insle-*  
*fiat, non nisi iniuste omittatur.* Inf. § 10. num. 3.

*Iniustum est, quod naturae societatis ratione* iniusti  
*utentium repugnat.* notio.

Conf. proleg. Grotii § 8. 15. & seqq.

*Societas alia est sine inaequalitate, alia inaequa-* Societas  
*lis. Ius itaque aliud rectorum eius qui regit, &* duplex.  
*qui regitur: aliud aequatorium ex aequo inter se*  
*viventium.*

Ita Aristoteles *lib. v. Ethic. cap. 5.* distinguit inter  
 δικαιον τὸ νόμιμον, καὶ τὸ ἄστον, legitimum ius & ae-  
 qua-

A 2

## POSITIONES IURIS NATVRAE.

*quale.* Vid. Idem d. lib. cap. 10. & lib. viii. cap. 8.  
Add. Ciceron. lib. i. de Legib. cap. 7.

## I V.

Significa-  
tio Iuris. *Iuris significatio altera ad personam refertur,*  
altera. *quo sensu Ius est qualitas moralis ad aliquid iuste  
habendum, vel agendum.*

Pufendorfius in Op. Mai. lib. i. cap. i. § 19. hanc qua-  
litatem in *activam* & *passivam* satis recte, ut vide-  
tur, distinxit.

Qualitas  
moralis  
duplex. *Qualitas illa moralis vel perfecta est, & fa-  
cultas dicitur: vel minus perfecta, aptitudo.*

Pufendorfius d. l. § 20. duas huius *aptitudinis* species  
constituit, *unam* praestationis mere gratuitae, *alte-  
ram* oriundae ex virtute quadam morali.

## V.

Facultas. *Facultas, sive ius proprie aut stricte dictum,  
potestatem continet, tum in se, tum in alios: i-  
tem dominium, sive plenum, sive minus plenum:  
nec non creditum, cui ex adverso respondet de-  
bitum.*

Huc igitur utrumque ius pertinet, tum *personarum*,  
tum *rerum*; hocque posterius tum *in re*, uti vo-  
cant, tum *ad rem*.

V I.

## V I.

Haec facultas rursum duplex est: *vulgaris sci-* Eius di-  
*licet, quae usus particularis caussa comparata* vizio.  
*est: & eminens, quae superior est iure vulgari;*  
*utpote communitati competens in partes, & res*  
*partium, boni communis caussa.*

Distinctionis huius pereruditiae, ac pene necessariae,  
 primum auctorem Grotium laudat Boeclerus *ad h. l.*  
*p. 84. seqq.* Forte autem facultas illa eminens adpellatione magis propria *Imperium* vocabitur; *domini-*  
*nium enim privati iuris est, imperium publici.* Et  
 iam olim satis accurate haec distinxit Seneca *lib. viii.*  
*de Benef. cap. 4. seqq.* ubi inter alia *cap. 5. Sub op-*  
*rimo, inquit, Rege omnia Rex imperio possidet, singuli*  
*dominio.* Conf. Bodinus *lib. 1. de Rep. cap. 8.* &  
 Boeclerus in *diss. de Dom. Emin.*

## V II.

Aptitudinem alii *ἀξίαν*, id est, *dignitatem vo-* Aptitudo.  
 cant: idque quod secundum eam aequale dici-  
 tur, interpretantur id quod *convenit*.

Ita Aristoteles *lib. v. Ethic. cap. 6. ibid. Mich. Ephes.*  
 Eleganter Cicero *lib. IIII. de Finib. cap. 6. Aesti-*  
*mabile esse dicitur, id quod aut ipsum secundum natu-*  
*ram sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum*  
*propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum ae-*  
*stimatione; quam ille ἀξίαν vocat: contraque inaesti-*  
*mabile,*

*mabile, quod sit superiori contrarium.* Vid. Davis.  
ad h. l.

## V I I I.

Divisio Facultatem respicit Iustitia *expletrix*: Aptitudinem attributrix.

Iustitiam *expleticem* vulgo cum Aristotele *commutativam* Doctores vocant: *attribucicem* vero *distributivam*, secundum *proportiones arithmeticam*, & *geometricam*. Vid. Aristoteles lib. v. *Ethic. cap. 5. seqq.* In alia vero omnia cum Grotio abit Hobbesius de *Cive*, cap. 111. § 6. & Barbeiracius, not. Gall. ad h. §. Sed, ni fallor, caussam Aristotelis feliciter admodum tuiti sunt Feldenus, Gronovius, Boeclerus, Zieglerus, & alii ad h. l.

## I X.

Significa-  
tio Iuris  
tertia.

Est & tertia *Iuris significatio*, qua idem valet quod *lex*, quoties vox *legis* largissime sumitur, ut sit regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est.

*Actus moralis* definitionem habet Pufendorf, lib. I. de *Off. Hom. & Civ. cap. 1. § 2.* Addef. Eund. in *Op. Mai. lib. 1. cap. v. § ibiq. Hert.* Ceterum duplicem Cl. Barbeiracii censuram in not. Gall. ad h. l. mereri auctor non videtur: Deus enim per naturam iubendo, honestum non facit, sed indicat. Vid. *Proleg. § 11. & inf. § 10. hui. cap.* Tantum porro abest,

# L I B E R I. C A P V T I. 7

abest, ut permissio in se spectata sit legis effectus,  
ut nil nisi defectus sit omnis normae, sive iuris,  
aut legis.

*Iuris ita accepti optima partitio est, ut sit aliud Iuris par-*  
*Ius Naturale, aliud Voluntarium.* partitio duplex.

Auctorem Aristotelem habet haec divisio, lib. v. Eth.  
cap. 10. nec alia videtur philosophi, atque auctoris  
mens fuisse, secus ac notatum aliis, ad b. l.

## X.

*Ius Naturale* est dictatum rectae rationis, in- Definitio  
dicans actui alicui, ex eius convenientia aut dis- Iuris Na-  
convenientia cum ipsa natura rationali, inesse  
moralem turpitudinem, aut *necessitatem moralem*,  
ac consequenter ab auctore naturae Deo talem a-  
ctum aut vetari, aut praecipi.

Aeternam ac necessariam huius Iuris originem, adversus hypotheses Pufendorffianas, ex immutabili Dei iustitia, eaque essentiali, egregie vindicatum ivit Illistris Leibnitius in Epist. Censor. § 13. seqq. Et quamvis nullum sine superiore ius detur, suam tamen hoc ius auctoritatem etiam in eos, quibus incognitus eius auctor est, omnino obtinet. Nec alia Grotii sententia est. Vid. Proleg. d. § 11. & quae sequuntur, num. 2. 5. & 6. hui. §.

## XIII.

8 POSITIONES IURIS NATVRAE.

X III.

Ius Vo-  
luntarium. Altera Iuris species est *Ius Voluntarium*, quod  
ex voluntate originem ducit: estque vel *Huma-*  
*num*, vel *Divinum*.

X I V.

Iuris Hu-  
mani di-  
visio. *Ius Humanum* est vel Civile, vel latius patens,  
vel arctius.

*Civile* est, quod a potestate civili profici-  
tur.

*Potestas civilis* est, quae civitati praeëst.

*Civitas* est coetus perfectus liberorum homi-  
num, iuris fruendi, & communis utilitatis cau-  
sa sociatus.

De Civitate, & potestate civili, quae *Majestas* dici-  
tur, infra agit Auctor cap. III. § 6.

*Ius arctius patens*, & ab ipsa potestate civili  
non veniens, quamquam ei subditum, varium  
est, praecpta patria, dominica, & si qua sunt  
similia, in se continens.

Praecpta patria, dominica, coniugalia, &c. *Ius*  
*proprie dictum* non constituunt, in statu nempe  
civili, secus ac in naturali.

La-

# L I B E R I . C A P V T I . 9

*Latius patens est Ius Gentium, id est, quod gentium omnium, aut multarum voluntate vim obligandi accepit.*

Vid. Proleg. § 17. Versatur illud in *negotiis Gentium publicis*: oritur ex *paetō*, expresso vel tacito, cuius exempla fere sunt quotidiana. Sive autem *Ius adpelletur*, sive *Mores*, *Instituta*, *Solemnia*, nil quidquam refert; dummodo validam in se *obligationem* contineat, non aliunde, quam ex Gentium placito oriundam.

## X V.

*Ius Voluntarium Divinum* est, quod ex voluntate divina ortum habet: datumque aut humano num *Voluntarium*: generi, aut populo uni.

More suo ita haec distinguit Ludov. Molina in lib. de *Iust. & Iur. disp. III. num. 2. tom. I. Opp. Obligatio*, inquit, *Iuris Naturalis* oritur a *natura obiecti*, & *sese diffundit in praeceptum*: e contrario *obligatio Iuris Positivi* oritur a *praecepto*, & *se diffundit in obiectum*. Ita & Bolognetus in tract. de *Leg. Iur. & Aequit. cap. 23.* nec non Conimbricenses, *Disp. v. in Eib. Arift. qu. I. & Gisb. Voetius, tom. I. Disp. Sell. p. 364. seqq.* Vid. Ziegler. Osiander, & Heniges *ad b. §. item Scharrokius sub fin. pref. & Gundlingiana, part. xxxiiii. obs. 3.*

*Humano generi ter Ius datum a Deo reperimus: statim post hominem conditum: iterum in*

B

re-

10 POSITIONES IURIS NATVRAE.

reparatione humani generis post diluvium : postremo in sublimiori reparatione per Christum.

Tria haec *Iura* haud dubie omnes homines obligant, ex quo, quantum satis est, ad eorum notitiam pervenerunt.

Intelligit Auctor 1. leges *Adamo & Evae* post lapsum datas, non vero paradisiacas, uti hic alii. 2. datas *Noacho*, eiusque posteris, inf. § seq. num. 3. 3. leges *Evangelicas*. *Enimvero* quatenus leges istae *morales* sunt, *Iuris*que adeo *Naturalis*, omnino eas *universales* esse statuimus: quatenus vero vel *politicae*, vel *mysticae* sunt, non nisi *particularias* eas esse, adeoque *particulares*, contendimus. *Evangelica* porro *mysteria* non satis proprie *Iura* aut *Leges* adpellantur, quum intrinseca sua qualitate ad lumen solum *Gratiae*, quod supranaturale est, non ad *Naturam* vel *Rationem* pertineant.

Ex omnibus populis unus est, cui peculiariiter Deus *Iura* dare dignatus est, *populus* scilicet *Hebraeus*.

Quod *Ius Revelatum* dicimus, distinctum in *Forense*, & *Caerimoniale*: quorum *hoc* post adscensum Christi, illud extinctis Hierosolymis penitus subiktum est. Vid. inf. § seq. num. 3.

C 4

## C A P V T II.

*An bellum unquam iustum sit?*

## I.

**V**isis *Juris fontibus* ad primam ac generalissimam *Bellum aliquod* veniamus *quaestione*, *quae haec est: an iustum bellum aliquod iustum sit?* sive, *an bellare un-* esse, ar- *quam liceat?* gum. 1.

*Vid. Proleg. § 28. & 29.*

Haec autem ipsa quaestio, ut & aliae, quae deinceps sequentur, ad *Ius Naturae Primum* exigenda est: sunt enim quaedam *prima naturae*, Graecis οὐ τῷ ναῷ φύσιν: quaedam *consequentia*, sed quae illis primis praferenda sint.

*Ex Cicerone lib. III. de Finib. cap. 5. & seqq. add.  
Eund. lib. II. de Finib. cap. II.*

*Prima naturae* adpellantur, quod simul atque *natum* est animal, ipsum sibi conciliatur, & commendatur *ad se conservandum*, atque ad suum *statum*, & ad ea, quae conservantia sunt eius *status diligenda*: alienatur autem ab interi-

## 12 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

tu, iisque rebus, quae interitum videantur adferre.

Hoc *Ius Naturae commune*, hominum nempe & brutorum, a *Sociis & ICIis Romanis* definitur, quod natura (sive Deus) omnia animalia docuit, l. 1. § 3. D. de *Iust. & Iur. pr. Inst. de Iur. Nat. Gent. & Civ.* Eius duo feruntur capita: *unum* conservationis sui ipsius: *alterum* generis sui. Conf. l. 2. & 3. D. eod. & Cicero lib. 1. de *Offic. cap. 4.* item in *Topic. cap. 23.* & Gellius lib. xii. cap. 5. Addet. *Proleg. Auct.* § 7.

Convenientia rerum cum ratione. At post haec cognita, notio sequitur *convenientiae rerum cum ipsa ratione*, quae corpore est potior; atque ea *convenientia*, in qua *honestum sit propositum*, pluris facienda est, quam ad quae sola primum animi appetitio ferebatur.

Intelligitur *Ius Naturae proprium*, cuius bruta experitia sunt, a Veteribus definitum, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, § 1. *Inst. eod. d. l. 1. § 4. & l. 9. D. eod.* Alio nomine *Ius Gentium*, scilicet *Primarium*, in statu iam obtinens naturali: a quo distinctum *Secundarium*, conditis demum civitatibus, & distinctis rerum dominiis, in statu ortum sociali, § 2. *Inst. eod. l. 4. & 5. D. eod.* Quae tamen Iuris divisio Auctori nostro displicet, *sup. cap. 1. § 11.* Defenditur vero ab Ant. Merenda lib. 11. *Controv. cap. 1. § 12. & sqq.*

Honestum duplex.

*Honestum*, pro materiae diversitate, modo *in pun-*

*puncto* consistit, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo *liberius* habet *spatium*, ita ut & fieri laudabiliter, & sine turpitudine o. mitti, aut aliter fieri possit.

*Honestum* natura & *Iustum* duplex Auctor statuit: *num* proprie stricteque dictum, in alieni tantum abstinentia positum: *alterum* laxius, ceterarum quoque virtutum materiam complexum: prius illud *in puncto* ait consistere, ac velut in acie novaculae; posterius autem *spatio* uti liberiore. Vid. Proleg. § 10. & sup. cap. 1. § 9. num. 1. fin. & inf. § 8. num. 4. add. lib. 11. cap. 1. § 5. num. 1. Et hoc vulgare illud *Ius* inter & *Virtutem* discriminem est. Evidem non nego, humanae imbecillitatis intuitu, corrupto hoc statu, discriminem eiusmodi locum obtinere: ceterum Dei & Iuris Naturalis respectu nullam inter ea differentiam ponendam existimo. Quis enim *normam virtutum* aequa perfectam esse, immo perfectiorem certo sensu, ac sublimiorem, ac *iuris* proprie dicti, negaverit? Ubi autem norma est, ibi sane convenientia requiritur actionis cum norma. Quod vero *extra normam* est, hominisque uni relictum arbitrio, id Iuris, Honesti, & Virtutis nomine prorsus indignum est; quales sunt actus physici, aliquique adiaphori, nihil in se moralitatis continentes, auctore apud Gellium Epicteto & Platone, lib. 1. cap. 2. & lib. xvii. cap. 20. Vid. etiam Cl. Hombergius in *Iub. Iur. Nat.* cap. 7. ubi late contra Pufendorfium, Cocceium, aliosque disputat.

Inter prima naturae nihil est, quod bello re-  
B 3 pug-

14 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

pugnet, immo omnia potius ei favent: nam & finis belli, vitaे membrorumque conservatio, & rerum ad vitam utilium, aut retentio, aut adquisitio, illis primis naturae maxime conuenit.

Deus enim *fincm* praecipiens, sui nempe generisque sui conservationem, ius quoque ad *media* fini isti obtinendo necessaria dedisse censendus est.

*Recta* autem *ratio*, ac natura *societatis*, quae secundo ac potiore loco ad examen vocanda est, non omnem vim inhibet, sed eam demum, quae societati repugnat, id est, quae ius alienum tollit. Nam *societas* eo tendit, ut suum cuique salvum sit communi ope, ac conspiratione.

Non est ergo contra *societatis* naturam, sibi prospicere, atque consulere, dum ius alienum non tollatur: ac proinde nec *vis*, quae ius alterius non violat, iniusta est.

Vid. Cicero lib. III. de Offic. cap. 7. ibiq. Rachelius.

I I.

Argum. 2. Id quod dicimus, non omne bellum *Iuri Naturae* adversari, probatur amplius ex sacra historia. Genes. cap. XIV. vers. 20. Exod. XVII.

Sed

Sed & leges generales ac perpetuas de modo  
gerendi belli Deus populo suo praescripsit *Deu-*  
*ter. x. cap. xx. vers. 10. & 15. Iudic. cap. xii. lib. ii.*  
*Sam. cap. x. & xi. vers. 33. & 34. & lib. i. Sam.*  
*cap. xxv. vers. 28.*

## III.

Probatur idem, quod dicimus, omnium gen- Argum. 3.  
tium, ac praecipue sapientum, consensione. ex gen-  
tium con-  
sensione.

Cicero *pro Milone cap. iv. & xi. l. 3. D. de I. & I.*  
*l. 4. pr. D. ad L. Aq.*

## IV.

De *Iure Naturali* ergo, quod & *Gentium* dici Bellum  
potest, satis constat, eo bella non omnia im- non repu-  
probari. gnat Iuri  
Nat. &  
Gent.

Duo modo adhuc belli requisita: *unum iustae causae:*  
*alterum iusti modi.* De priori *inf. lib. ii. cap. 1.*  
De posteriori *lib. iii. cap. 1. & seqq.*

*Iure autem Gentium Voluntario* itidem non dam-  
nari bella, nos docent historiae, & omnium  
populorum leges ac mores.

Livius *lib. XLII. cap. 41. l. 5. D. de I. & I. Conf.*  
Barbeiracius *ad h. §.*

## V.

## V.

An repugnet l*ius*  
Divino  
Volunta-  
rio?  
De *Iure Divino Voluntario* maior est difficultas: primum contra bellum adferri solet lex data Noae, eiusque posteris, *Genes. cap. ix. vers. 5. & 6.*

Sed interdictum hoc *de sanguine non effundendo*, non latius patet, quam quod in Lege est, *non occides*; quod neque capitalibus suppliciis, neque bellis obstitisse manifestum est.

Quod vero sequitur, *de sanguine vicissim effundendo*, videtur mihi non factum nudum, sed ius continere.

Ita Grotius, cum interpretibus Hebraeis apud Selde-  
num *lib. iv. de Iur. Nat. & Gent. cap. 1.* Ita e-  
tiam Henniges ad *Grotium loc. cit.* secus ac plerique  
alii, qui praceptum illis verbis, sive *legem mora-  
lem* contineri putant, secundum quam omnes ho-  
die Magistratus *capitalem* ab homicidis *poenam su-  
mire* iubentur. Vid. Henr. Cocceius in *Diss. de Sacrof. Talion. Iur. § 29.* & Adam. Rechenberg.  
in *Diss. de Iure aggrat. circa homic. negaro.* Quum  
tamén *Iure Naturae*, uti infra dicetur, *lib. ii. cap.  
xx.* nullae poenae definiantur, adeoque morales de  
iis leges non extent: Deus etiam ipse, tum *Caino*,  
tum *Davidi*, aliisque caedis reis, hanc *poenam re-  
miserit*,

miserit, adeoque Iuris ea Naturalis, sive moralis dici nequeat. Quum denique *leges istiusmodi sing. po-*  
*siuiae*, pariter ac forenses Mosaicae, & hodiernae  
*civiles*; proinde integrum est supremis hodie Im-  
*peratitibus qualescumque poenias quibuslibet crimi-*  
*nibus*, publici boni caussa, dictitare, earumque  
*veniam reis aliquando indulgere*, quod *ius aggra-*  
*tiandi vulgo dicitur*. Vid. Thomasius in *Diss. de*  
*Iure Aggrat. in caus. homic.* item in notis ad Hu-  
*berum de Iure Civit. lib. IIII. sect. II. cap. v. § 9.*  
*seqq.* Cum Grotio hic & Thomasio facere quoque  
*lubens video Cl. Barbeiracium in not. Gall. ad*  
*cap. I. § 15. num. 2. not. 4.*

## V I.

Speciem maiorem habent, quae ex *Evangelio* An *Evan-*  
*contra bellum adferuntur*: in quibus examinan-  
*dis non illud mihi sumam, quod sumunt multi*;  
*in Evangelio extra praecepta credendi & sacra-*  
*mentorum, nihil esse quod non sit Iuris Naturalis*.  
*Id enim, quo sensu a plerisque sumitur, verum*  
*non puto.*

Hypothesis Grotii de *Iuris ac Virtutis*, sive *Iusti &*  
*Honesti*, naturali discrimine, de quo *supra ad § 1.*  
*non potuit non hanc etiam de Iuris Naturalis & E-*  
*vangelii in moralibus differentia doctrinam parere*.  
*Ista autem sublata hypothesi, & reliqua eius con-*  
*fectoria simul corrunt*. Quae porro sequuntur de  
*nova & perfectiore Evangelii lege, b. §. 2. & seqq.*  
*dudum occuparunt reselleruntque alii.*

## C

## VII.

18 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

V I I.

Non re-pugnare, <sup>argum. 1.</sup> **Primum** ac praecipuum testimonium, quo bellandi ius Christi lege non plane tolli probabamus, esto Pauli illud *i ad Timoth. II. ¶ 1. 2. 3.*, add. *Rom. XIV. ¶ 4.*

Ab officio *magistratum*, eorumque in infligendis *pœnis*, maxime *capitalibus*, potestate, ad belli gerendi ius, natura licitum, satis recte ita argumentatur  
Auctor. Vid. *inf. num. 13. b. §. in arg. 10.*

Argum. 2. **Secundum** argumentum praebet nobis is ipse Pauli locus *ad Rom. XIII. 1.* ubi potestas summa, qualis est, a Deo esse dicitur, & Dei ordinatio vocatur; unde infertur, ei & parendum, & honorem exhibendum, & quidem ex animo; & qui ei resistit, eum Deo resistere.

Argum. 3. **Tertium** argumentum petitur ex *Ioannis Baptista* verbis, qui serio interrogatus a *militibus Iudeis*, quid haberent faciendum, ut iram Dei effugerent; non eos militia abire iussit, quod facere debebat, si ea erat Dei voluntas; sed abstinere concussionibus & fallaciis, stipendiisque esse contentos, *Lucae XI. ¶ 14.*

Argum. 4. **Quarum** hoc est argumentum, quod mihi ponderis non exigui videtur: si tollatur ius *capitalium*

*taliū iudiciorū*, & armis cives tuendi adversus latrones ac praedones; maximam inde sequuturam scelerum licentiam, & quasi diluvium malorum, cum nunc quoque constitutis iudiciis aegre reprimatur improbitas.

Ex precepto itaque naturali de *conservatione* tum *sui*,  
tum *humanae societatis*, ius non solum privatae defensionis, verum etiam iudiciorum *capitalium*,  
*bellige gerendi*, omnino colligitur. Sup. ad § 1.  
*hui. cap. p. 14.*

*Quintum* sit, quod nullo arguento ostendi Argum. 5.  
potest *Lex Mosis*, quae ad *iudicia* pertinebat,  
desisse priusquam urbs Hierosolyma excindetur,  
& cum ea tum species tum spes reipublicae  
concederet.

Conf. sup. cap. I. § 16. & 17. add. sup. p. 10. fin.

*Sextum* sit argumentum ab exemplo *Cornelii* Argum. 6.  
*Centurionis*, qui & Spiritum Sanctum, signum  
indubitatum iustificationis, a Christo accepit,  
& in nomen Christi a Petro Apostolo baptizatus est: *militiam* autem abdicasse, aut ad eam  
abdicandam a Petro monitus non legitur.

Vid. Attor. x. f. 24. & seqq.

*Septimum* huic simile petitur ex eo, quod de Argum. 7.  
Sergio Paulo coepimus dicere. Nam in eius  
conversi historia nullum est indicium eiurati ma-

*gistratus*, aut admonitionis factae, ut eiuraretur.

Vid. *sup. num. 4. b. §. ex Lucæ Act. xiiii. ¶ 7. seqq.*

Argum. 8. *Octavum esse potest, quod Paulus Apostolus, intellectis Iudeorum in se insidiis, Tribuno indicari eas voluit; & cum Tribunus milites ei addidisset, quorum praesidio in itinere aduersus vim omnem tutus esset, nihil contradixit, neque Tribunum aut milites monuit, Neo non placere, ut vis vi repellatur.*

*Actor. xxiiii. ¶ 16. & seqq.*

Argum. 9. *Nonum accedat, quod rei honestae ac debitæ finis proprius non potest non esse honestus ac debitus. Tributa ut solvamus honestum est; atque etiam praeceptum conscientiam obligans: tributorum autem finis est, ut potestates publicae habeant, unde sumtum faciant ad bonos tuendos ac coercendos malos, Rom. xiiii. ¶ 3. 4. 6.*

*Tacitus lib. iv. Hist. cap. 74.*

Argum. 10. *Decimum argumentum praebet locus ille Actor. xxv. ¶ 11. ubi Paulus ita loquitur: Si iniuria quenquam adfeci, ex dignum aliquid morte commisi, non recuso mori. Vnde colligo, ita censuisse Paulum, etiam post publicatam Evangelii legem quaedam esse crimina, quae morte plecti aequitas ferat, aut etiam exigat: quod & Petrus docet 1. Epist. ii. ¶ 19. 20. Probato autem capitales penas post Christi adventum recte exerceri, simul pro-*

probatum arbitror, *bellum* aliquod licite geri;  
puta aduersus nocentes multos & armatos, qui  
ut rei fiant, acié vincendi sunt.

Vid. Tacitus lib. III. Annal. cap. 13. fin.

*Vndecimum* sit, quod in *Apocalypsis* prophetia Argum. 12.  
praedicantur *bella* quaedam *piorum* cum manifesta  
adprobatione, cap. XVIII. v. 6. & alibi.

*Duodecimum* esse potest, quod Christi lex so. Argum. 12.  
iam legem Mosis, qua gentes ab Hebreis sepa-  
rabat, sustulit, Ephes. 11. v. 14. Quae autem  
natura, & bene moratarum gentium consensu ho-  
nesta censemur, adeo non sustulit, ut sub gene-  
rali praecepto omnis *honesti* ac *virtutis* compre-  
henderit, Philipp. IV. v. 8. & Cor. XI. v. 13. 14.  
Iam vero criminum *poena* & *arma*, quae iniuriam  
arcent, natura habentur laudabilia; & ad iusti-  
iae, & ad beneficentiae virtutem referuntur.

### V I I I.

Videamus nunc etiam, quibus argumentis se Sententiae  
fulciat adversaria sententia: *primum* adferri solet adveriae  
vaticinium *Esaiae*, qui futurum dicit, ut populi argum. 1.  
gladios contundant in ligones, & lanceas  
in falces, neque gladium sumant aliis in alium,  
neque bellum ultra addiscant, cap. 11. vers. 4.

Sed hoc vaticinium aut sub *conditione* quadam Respon-  
acci. sio.  
C 3

22 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

acciendum est, quemadmodum multa alia; ut nimirum intelligamus, talem fore rerum statum, si omnes populi Christi legem suscipiant atque impleant; quam ad rem Deus ex sua parte nihil passurus sit desiderari: certum autem est, si omnes sint Christiani, & Christiane vivant, nulla fore bella.

Aut intelligendum est *pure*; quo modo si accipiatur, docet res ipsa, impletum hoc nondum esse, sed implementum ejus, ut & conversionis generalis Iudeorum, adhuc exspectandum.

Conf. ad b. l. Osiander & Zieglerus, ab iisque citati: ubi utraque haec Auctoris coniectura refellitur. Ad priorem fere accedit Cel. Vitrunga, in Comm. ad b. l. neque multum ab ludit Step. Curcellaeus lib. v. Inst. Christ. Cap. xxiiii. § 6.

Vt rovis autem modo sumas, nihil hinc inferri potest adversus bellorum iustitiam, quamdiu sunt qui pacis amantes pace frui non sinunt, sed vim eis intentant.

Argum. 2. Adversariae sententiae munitum secundum ex Christi verbis petitur, Maukai cap. v. ¶ 39. sq. Audistis dictum fuisse; Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne oblixi te iniurioso, sed caedenti te in dexteram maxillam, alteram quoqua obuertere. Hinc inferunt, nullam inju-

iniuriam aut repellendam, aut vindicandam, sive publice, sive privatim.

Conf. Auctor *inf. lib. 11. cap. xx. § 10. num. 2. 3. seqq.*

Atqui non hoc dicunt verba; neque enim *Magistratus* hic alloquitur Christus, sed eos qui im- Respon-  
petuntur; nec de quavis agit iniuria, sed de ta-  
li, qualis est *alapa*: sequentia enim verba restrin-  
gunt praecedentium generalitatem.

Nihil utique aliud, quam *vindictam* Christus ibi prohibet,  
potiusque iniuriam suos qualemcumque ferre, quam  
parare ultiōem iubet. Conf. Seneca *de Conf.*  
*Sap. cap. 14. add. Osiander & Zieglerus ad h. l.*

Tertium argumentum peti solet ex eo, quod apud Matthaeum sequitur: *yl. 43. Audistis di- Argum. 3.  
ctum fuisse: Diliges proximum tuum, & odio ha-  
bebis inimicum tuum: Ego vero dico vobis, Diligite  
inimicos vestiros: Benedicite eis, qui vos execrantur:  
Precamini pro eis, qui infesti vobis sunt, & vos  
perseguuntur.* Sunt qui existimant, cum tali di-  
lectione & beneficentia adversum inimicos &  
infestos, pugnare tum *iudicia capitalia*, tum  
*bella.*

Sed facile id refellitur, si ipsum illud *legis Hebraicae* dictum consideremus. Praecipiebatur *Hebraeis*, ut *proximum* diligerent, *Hebraeum* scilicet: ita enim vocem *proximi* ibi sumi ostendit *Lev.* Respon-  
sio.

## 24 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

*Lev. cap. xix. comma 17. collatum cum commate 18.*

De odio inimici nihil vel in Veteri, vel in Novo Foe-dere legitur. Haufit ea Auctor ex Rabbinis, ob-servante ad h. l. Osiandro & Zieglero. Conf. A-barbanel, citatus a Grotio supra ad § 6. num. 3.

At non eo minus imperatum erat *Magistrati-bus* occidere homicidas, & alios graviter fontes: non eo minus *tribus undecim* ob delictum atrox iusto bello persequutae sunt tribum Beniamiti-cam, *Iudic* xx. seq. non eo minus recte *David*, qui praelia Domini praeliabatur, regnum sibi promissum ab Isboleto armis repetiit.

Arguir. 4. *Quartus locus*, qui obiicitur, est *Roman. XII. vñ. 17.* *Nemini malum pro malo reddite; procurate honesta in omnium conspectu; si fieri potest, quan-tum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes, non vosmet ipsos ulciscentes, dilecti, sed date locum irae; scriptum est enim: Meum est ul-cisci, ego rependam. &c.*

Respon-sio. Sed hic quoque eadem, quae ad locum supe-riorem, patet responso. Nam quo tempore dictum fuerat a Deo, *Meum est ulcisci, ego re-pendam;* eo ipso tempore & iudicia capitalia ex-ercebantur, & de bellis scriptae erant leges.

Argum. 5. *Quintus*, quo nonnulli utuntur, locus est  
*2 Cor.*

*2. Corinth. x. v. 3. & 4. Quanquam in carne ambulantes, nequaquam carnis bella gerimus. Nam arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed divinitus validia ad destructionem munitionum. &c.*

Sed hic locus nihil ad rem facit: ostendunt enim tum praecedentia, tum quae sequuntur, <sup>Respon-</sup> *carnis* nomine a Paulo ibi intelligi imbecillam corporis conditionem, qualis in adspectum veniebat, & cuius nomine contemnebatur. Huic opponit Paulus *arma sua*, potestatem scilicet si bi ut *Apostolo* datam ad coercendos refractarios.

Vid. 1 *Corinth.* v. v. 3. seqq. item 1 *Timoth.* i. v. 20. & 2 *Timoth.* ii. v. 17. & cap. iv. v. 14.

Quid hoc ad ius capitalium *suppliciorum*, aut *belli*? immo contra, quia Ecclesia eo tempore publicarum potestatum auxilio destituebatur, ideo ad eius tutelam, *prodigiosam* illam potestatem Deus excitaverat, quae deficere ferme coepit, ex quo Imperatores Christiani Ecclesiae contigerunt: sicut *Manna* defecit, ubi in terras frugiferas populus Hebraeorum pervenerat.

Quam incaute itaque ab hierarchiae defensoribus pro ban no suo ecclesiastico verba Pauli adferantur, satis patet. Vid. Basnagius tom. II. *Annal.* p. 475. *in pecul. diff. de traditione flagitijs diabolo.*

*Sexto* adfertur locus *Ephes.* vi. v. 11. seqq. *Induite Argum.* 6.  
D uni.

## 26 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

*universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus artes Diaboli; quia non est vobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversum imperia, & quae sequuntur.*

Respon-  
sio. Agit hic locus de pugna, quae Christianorum est, qua sunt Christiani, non quam communem habere cum aliis hominibus certis eventibus possunt.

Argum. 7. Iacobi locus *septimo adfertur*, cap. iv. ¶. i.  
*Vnde bella & pugnae inter vos? nonne ex voluptatibus vestris, quae militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: invidetis & affectatis, nec potestis nancisci: pugnatis & bella geritis, nec obtinetis, eo quod non petitis. &c.*

Respon-  
sio. Nihil hic locus continet universale: tantum dicit, *bella & pugnas*, quibus tum Hebrei dispersi inter se misere collidebantur, ortum habuisse ex caussis non probis: quod nunc etiam contingere scimus & dolemus.

Vid. Iosephus lib. xviii. Antiqq. Indiaic. cap. 12. & init. lib. seq.

Argum. 8. Quod vero Petro dictum est: *Qui gladio ferit, gladio peribit*, cum non ad bellum communiter spectatum, sed ad bellum privatum propriè pertineat, suo loco rectius pertractabitur.

Inf. cap. iii. § 3. num. 7. Extar hoc dictum apud Matth.

## IX.

Solent porro ab iis, qui bella impugnant, ad- Argum. 9.  
terri dicta quaedam veterum Christianorum. ex Patri-  
bus Christianis.

Origenes lib. iii. contra Cels. p. 115. lib. iv. p. 217.  
fin. lib. vii. p. 349. & lib. viii. p. 427. ed. Cantabr.

Tertullianus de Corona Mil. cap. ii. & de Idolol.  
cap. ii. & 19. Lactantius lib. v. cap. 17.

Ad quae *tria* dicenda habeo. *Primum* est; ex Respon-  
sio 1.  
iis dictis nihil amplius colligi, quam *privatam*  
quorundam sententiam, non *publicam* Ecclesia-  
rum: addere, quod ferme, quorum ea dicta sunt,  
amant ab aliis seorsim ire, & docere quiddam  
magnificentius: quales sunt *Origenes* & *Tertullia-*  
*nus*, qui nec sibi satis constant.

De utroque non ineptum videtur iudicium Vincentii  
Lirinensis in *Commonit. adversus haeres.* cap. 23.  
& 24. cum not. Baluz.

*Secunda* observatio est, quod militiam Chri- Respon-  
stiani saepe aut improbarunt, aut evitarunt ob-  
temporum circumstantias, quae vix ferebant mi-  
litiam exerceri sine actibus quibusdam cum Chri-  
stiana lege pugnantibus. sio 2.

28 POSITIONES IURIS NATVRAE.

Vid. Tertullianus *dd. II. iunc. Iosepho lib. xiv. An-*  
*tiqu. Iudaic. cap. 17. & lib. xviii. cap. 5. Ad-*  
*dct. dissertationem Cl. Gruberi de Iudeo Mili-*  
*te, cap. 11. & 111.*

Respon-  
sio 3.

*Tertium, quod notamus, hoc est: Christianos*  
*primorum temporum tanto ardore succinos fuis-*  
*se ad praeclarissima quaeque capessenda, ut sac-*  
*pe consilia divina pro praeceptis amplecteren-*  
*tur.*

Differentiam hanc Auctor supra iam tradidit *cap. 1.*  
*§ 1x. num. 1. & in Proleg. § 50. & infra cap. 111. §.*  
*111. num. 9. Idem preter alios & Greg. Nazian-*  
*zenus inculcat, lib. III. in Julianum, cap. 94. &*  
*Bellarminus lib. II. de Membr. Eccles. milii. cap. 7.*  
*Doctrinam vero istam ex Patrum quorundam, &*  
*maxime ex Pontificiorum Interpretum lacunis*  
*haustum esse, abunde ostenderunt alii. Vid. O-*  
*siander ad Proleg. p. 117. sqq. & ad lib. I. cap. 1.*  
*obs. II. ad § 1x. p. 159. sqq. & pluribus Cl. Bar-*  
*beiracius in not. Gall. ad h. l. Nostram hac de re*  
*paullo superius sententiam diximus, ad § 1. & 6.*  
*bui. cap. p. 1. & 17.*

X.

Argum. 1. Nunc ut nostra firmemus, primum non de-  
 ex Patri-  
 bus. *Nunc ut nostra firmemus, primum non de-*  
*funt nobis scriptores, & quidem antiquiores: qui*  
*& capitalia iudicia, & quae inde pendent bel-*  
*la, sentiant a Christianis licite posse usurpari.*

Vid.

## L I B E R I . C A P V T I I . 29

Vid. Clem. Alexandrinus lib. I. Strom. cap. 26. & 27.  
& in Paedag. lib. II. cap. 11. Constit. pseudo-  
Clementis Romani lib. VII. cap. 3. iunc. Vsserio  
in Diff. de Epistolis Ignatii, cap. 6. sqq.

Sed auctoritatibus privatis sepositis ad publi- Argum. 2.  
cam Ecclesiae veniamus, quae maximi debet es- ab aucto-  
se ponderis. ritate Ec-  
clesiae.

Conf. Prolegomena Auctoris § 51.

Dico igitur: nunquam a *baptismo* reiectos, aut  
ab Ecclesia *excommunicatos* eos, qui militabant;  
quod tamen & factum oportuit, & factum fuisset,  
si militia cum *Novi Foederis* conditionibus  
pugnasset.

Vid. dictae Constitutt. Clem. Rom. lib. VIII. cap.  
32. & Tertullianus in *Apolog.* cap. 5. 37. & 42. &  
in libro *de Corona Mil.* cap. 1.

Accedat, quod & *milites nonnulli*, pro Chri- Argum. 3.  
sto tormenta mortemque perpessi, eundem cum a militibus  
ceteris *martyribus* honorem ab Ecclesia acceperint. martyri-  
bus.

Ita Cyprianus in *Epiſt.* xxxix. & *Martyrologium sub*  
*Nerone, Decio, Valeriano, Aureliano, Maxi-*  
*miano, & Licinio.*

Capitalibus suppliciis si non libenter interfue- Argum. 4.  
runt Christiani illis temporibus, haud mirum ab impe-  
D 3 vide- riorio & legg.  
Conſi. M.

30 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

videri id debet; cum plerumque de Christianis  
ipsis esset iudicandum.

Postquam vero *Constantinus* Christianam re-  
ligionem & probare, & promovere coepit, non  
ideo desierunt capitalia supplicia.

Quo pertinet ipsius *Constantini* constitutio de parrici-  
dis culeo insuendis, in *I. un. C. de iis, qui par-*  
*vel libb. occid.* de cuius poenae antiquitate quae-  
dam notavimus ad *Chassanaei* parat. *Inst. p. 301. seq.*

Idem in exercitu suo plurimos habuit *Christia-*  
*nos*, & labaro *Christi* nomen inscripsit.

Eusebius in *vita Conf. M. lib. I. cap. 25. conf. Na-*  
*zianzenus, Orat. II. in Iul. cap. 60.*

Ex eo etiam mutatum est *sacramentum milita-*  
*re* in eam formam; quae extat apud *Vegetium*  
*lib. II. cap. 5.*

Verba eius haec sunt: „Victuris in cute punctis mili-  
„ties scripti, & matriculis inserti, jurare solent:  
„& ideo militiae sacramenta dicuntur. Turant  
„autem per Deum, & Christum, & Spiritum  
„Sanctum, & per maiestatem Imperatoris, quae  
„secundum Deum generi humano diligenda est &  
„colenda. &c.

Argum. 5. Neque eo tempore ex tot *Episcopis*, inter quos  
a tacito consensu Episcopp. multi erant durissima quaeque passi pro religio-  
ne, vel unus fuisse legitur, qui aut *Constantinum*  
ab

ab omnibus omnino capitalibus suppliciis & bello, aut *Christianos* a militia injecto divinae irae metu absterruerit.

Vid. Ambrosius *Serm. vii.* & *lib. i. de Offic.*

*cap. 27.* *ad Officium* *de Tempore* *et Tempore*

Neque tamen ignoro, saepè Episcopos & ple- Refutatio  
bem Christianam, interpositis precibus suis aver- obiect. i.  
tisse poenas, praesertim capitales.

Ceterum quos iidem, & praesertim lucifugae mona-  
chi, superstitione ducti ambitiosa, passim in libe-  
randis reis, diruendisque templis, tumultus excita-  
runt, utpote a Christiana pietate alienissimos, haud  
immerito Libanius, Eunapius, Zosimus, aliquæ  
genitiles deterrantur. Vid: Iac. Gothofredus *ad Li-*  
*banium pro Templ.* p. 46. seqq. & *ad l. 16. C. Tb.*  
*de poenis*, & *ad l. 16. eiusd. C. de Decur.*

Sed qui cum cura haec expendet, inveniet,  
signa haec esse Christianæ bonitatis, omnem ra-  
pientis *clementiae* occasionem, non omnia iudi-  
cia damnantis animi.

Quo pertinent exceptions notatae: Cassiodoro *lib. xi.*  
*Var. cap. 40. add. cap. 6. x. de Immunit. Eccles.*  
*item. l. 3. C. de Episc. and. & l. 3. 4. 6. C. Th.*  
*de Indulg. crim. ibiq. Iac. Gothofr.*

Obiciunt hic nobis nonnulli duodecimum ca- Refutatio  
nanem *Synodi Nicaeensis*: *Quicunque vocati &c.* obiect. 2.

Epi-

32 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Epitome eius apud Simeonem Magistrum latine ita  
habet: *Qui vi exhibita vii sunt restitisse, sed  
ab impietate vici sunt, & militiam resumfere, de-  
cem per annos abstineantur.* Conf. Grot. ad b. l.

Agitur ibi de *Idololatria* eorum, qui tempori-  
bus *Licinii* cingulum militiae primo abiecerant,  
sed deinde ad eam redierant, per fidei Christia-  
nae abnegationem.

Vid. Sulp. Severus lib. 11. cap. 33. & Eusebius lib. 1.  
*de vita Constantini* cap. 54. De sensu dicti cano-  
nis post Grotium agit Salmasius lib. 111. *de Foen.*  
*Trapez.* p. 782.

Refutatio obiect. 3. Sunt & qui *Leonis* epistolam obiificant, quae  
dicit: *Contrarium esse Ecclesiasticis regulis, post  
poenitentiae actionem redire ad militiam saecularem.*

Epistola Leonis xc. *ad Rustic.* Episc. cap. 10. Conf.  
Barbeiracius in *not. Gall.* ad b. l. & Io. Clericus  
in *Hist. Eccles.* sacc. 11. p. 750. seq.

Sed sciendum, in *poenitentibus* non minus,  
quam in *clericis* & *ascetis* exactam fuisse vitam,  
non quovis modo Christianam, sed eximiae cu-  
iusdam puritatis, ut tanto exemplo essent ad cor-  
rectionem, quanto ad peccandum fuerant.

Vid. Can. Apost. num. 82. iunc. num. 80. & Can.  
Afric. num. 16. Cyprianus epist. ix. Conf. etiam  
cap. 1. X. ne Cler. vel Mon. & l. 52. C. de Episc.  
et

& Cler. De exercitiis poenitentium asceticis Tertullianus agit in *Apolog.* cap. 40. de *Poenit.* cap. 9. & alii iam citati ab Heraldo ad *Tertull.* lib. 11. digr. 4. Sed conferri de abuso eorum meretur testimoniū S. Bernhardi epist. 42. & aliorum apud Petavium in *pecul.* *dissert.* ad *Epiphan.* *haeres.* LIX. Conf. Boilavius in *Historia Flagellantium* cap. 5. & 6.

Hoc amplius, etiam ad *clerum* admitti vabantur, qui post baptismum aut magistratus attingissent, aut munera bellica.

Vid. *Epistolae Paparum Siricii, & Innocentii, tom. II.*  
*Concil. p. 1017. & p. 1245. add. cap. 5. X. de Poen.*  
*nec non Concilium Toletanum iv. can. 44. apud Gra-*  
*tianum in can. 23. Qu. 8. & Eusebius lib. 1. Demonstr.*  
*Evang. cap. 8. Conf. Claud. Espenaeus lib. 11.*  
*Digress. cap. 6. Casp. Zieglerus in Episc. 'Mil. &*  
*Ant. Matthaeus in *Manud. ad Ius Can.* lib. III.*  
*tit. III. item cap. 1. X. Ne Cler. vel Mon.*

Legebantur scilicet *clericī* non ex quovis modo Christianis, sed ex iis, qui vitae exactissimae specimen dedissent.

Quo facit can. 6. *Apostol.* & *Afric.* can. 16. Cy-  
 prianus epist. IX. & l. 52. C. de *Episc.* & *Cler.*

At pro nostra sententia expressum *Ecclesiae iu-* Confir-  
 dicium habemus in *Concilio primo Arelatenſi*, matio sen-  
 quod habitum est sub Constantino, ut qui ar- strae: 1. ab  
 ma proiiciunt in *pace*, abstineant a commu- auct. Eccl.  
 nione.

E

Vid.

## POSITIONES IVRIS NATVRÆ.

Vid. can. 3. hui. Conc. Tertullianus de *Idolol.* cap. 9.  
& de *fuga persecuti.* cap. 3. Cyprianus epist. x. xxii.  
xxxii. & Sulpicius Sev. lib. i. cap. 1. 32. & 33.  
Conf. Gabr. Albaspinaeus ad d. can. 3. p. 253. &  
Grotius not. ad b. l.

2. ab ex-  
emp. Chrl-  
ian. mil.  
*Accedat exemplum militum sub Iuliano, non  
modico profectu Christianorum, ut qui morte  
sua Christo reddere testimonium parati essent.*

Ambrosius apud Gratianum can. 94. *Caus. xi. Qu.*  
111. & can. 98. eod. ex Augustino. Sed videlicet  
notat. Pithœi ad d. can. 94. & Auctorem inf. lib. II.  
cap. xxvi. §. 3. n. 9.

3. ab ex-  
emplo  
legion.  
Theb.

*Talis & multo ante fuerat Thebaea legio, quae  
Diocletiano imperante a Zabda, tricelimo Hie-  
rosolymorum Episcopo, Christianam religionem  
acceperat, & deinde in omne aevum memorabi-  
le edidit Christianæ constantiae & patientiae ex-  
emplum.*

Idem Auctor infra repetit cap. iv. bxi. cap. §. 7. num.  
10. Ceterum quae de Legione Thebaea vulgo cir-  
cumferuntur, fabulosa esse omnia, singulari differen-  
tatione ostensum est a Io. Dubourdieu. Conf.  
Sam. Basnagius tom. II. *Annal. ad ann. Christi* 301.  
p. 578. seqq. Idem de Legione Fulminatrix post  
Wiesium & Larroquatum evicit Io. Clemens, in  
*Hist. Eccl. ad ann. 174. p. 744. seqq.* Conf. lau-  
datus Basnagius, dict. som. LI. p. 153. seqq.

## C A P U T III.

*Belli partitio in Publicum & Privatum. Summi Imperii explicatio.*

## I.

**B**elli prima, maximeque necessaria partitio haec Belli divisionis est, quod bellum aliud est *privatum*, aliud *publicum*.

Ceterum innumera sunt bellorum genera, auctore Cicerone, in *Orat. pro Balbo*, cap. 4. In *historia Romana* aliud memoratur bellum *civile*, aliud *piraticum*, *servile*, *sociale*, &c. ita aliud iustum vel iniustum: aliud solemne, vel minus solemne: aliud offensivum, vel defensivum. *Cotif. inf. §. iv. hui. cap. & lib. II. cap. 1. §. II. & lib. III. cap. III. §. 1. & 2.*

*Publicum bellum* est, quod auctore eo geritur, Bellum qui iurisdictionem habet: *privatum*, quod alter: *mixtum*, quod una ex parte est publicum, alter: *ex altera privatum*.

*Iurisdictionem pro iure, imperio, & potestate. Auctor in genere accipit*, Ciceronem imitatus *Orat. 2. Agr. cap. 36. & Senecam lib. 1. de Clem. cap. 1. ubi Nero: Quas nationes funditus excendi, quas transporta-*

*ri, quibus libertatem dari, quibus eripi: quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat: quae ruant urbes, quae orientur, mea iurisdictio est. Cadit itaque Boecleri censura & Ziegleri ad b. l. §. iv. n. 2. & §. v. n. 1. & 2. Et quid impedit, quo minus Regum etiam & Magistratum appellations pro quibusvis regentibus accipiamus, licet stricto sensu longe inter sediscrepent. Vid. l. 2. §. 13. & 14. D. de Orig. Iur. & Pomponius Laetus de Magistrat. Rom. cap. 1. & 2. Conf. Perizonus de Praetorio, p. 21. & seq. & Thomasius ad Huberum de Iure Civit. lib. IIII. sett. 1. cap. v. §. 8. seqq. & iam dudum id observatum Ferd. Valsquio, in praef. Controv. Illust. num. 107.*

Sed de *privato*, quod antiquius, primum videamus.

Vid. sup. cap. 1. §. II. num. 1.

Ius belli  
privati.

*Bellum aliquod privatum licite geri, quantum Ius Naturae attinet, satis adparere arbitror ex iis, quae supra diximus, cum ostensum est, ut quis iniuriam etiam vi a se arceat, Iuri Naturali non repugnare.*

Vid. sup. cap. II. §. 1.

Obiectio  
a Iudiciis  
civilib.

Sed forte putet aliquis, id saltrem post constituta *iudicia* publica non licere: quanquam iudicia publica non a *natura*, sed a *facto* sunt humano.

Eiusdem utique originis *iudicia* sunt *humana*, cuius ipsa *societas* est, in qua exercentur. Haec autem proximi-

proxime ex pacto est, uti infra dicemus, adeoque a facto humano. Iuri tamen naturae ea merito adscribuntur, pariter ac alia actum humanae voluntatis consequentia. Vid. sup. cap. I. §. x. num. 4. Stricturæ itaque Feldeni, Ziegleri, Osiandri, ad b. l. nullius momenti sunt.

Quum tamen multo sit honestius, & ad quietem hominum conducibilius, ab eo cuius nihil intersit rem cognosci, quam homines singulos, nimium saepe amantes sui, quod ius putant id manu exequi; tam laudabili instituto obsequendum ipsa dicit aequitas & ratio naturalis.

De necessitate iudiciorum civilium agunt ICti ad tit. D. de Iudiciis. Auctor b. l. P. Fabri ad Regulas Iuris commentarium contulisse videtur, ad l. 176. eo tit. Conf. Livius lib. III. cap. 72. Quintil. decl. XIII. Cassiodorus lib. II. Var. 8. & lib. IV. Var. 10. ibiq. Forn. & Theodosicus apud Eundem in Edicto, artic. 10. & 124. Add. inf. lib. II. cap. xx. §. VIII. num. 4.

## II.

Certe quin restricta multum sit ea, quae ante iudicia constituta fuerat licentia, dubitari non potest. Est tamen ubi locum nunc quoque habeat, nimirum ubi cessat iudicium: nam lex vetans sine iudicio suum consequi, intelligi comode debet, ubi copia est iudicii.

E 3

Vbi

### 38 POSITIONES IURIS NATVRAE

Vbi enim nulla *indicias* ibi nec *civitas*, nec *imperium* *civile*, adeoque nec *obligatio*, *civiliū legum*: revisit itaque *ius naturalis facultatis*, quod ante conditam civitatem fuerat; in quantum scilicet *praeceptum*, de *necessaria* sui suorumque *conservatione* exigit.

Quot modis iudicia cessent. *Cessat autem iudicium momentaneum*, aut *continuum*. *Momentaneum cessat*, ubi *exspectati* *iudex* non potest sine certo periculo aut danno.

Vid. *inf. lib. II. cap. I. §. 3. &c. segg.*

*Continue vero iudicium cessat aut iure, aut facto.*

*Iure*, si quis versetur in locis non occupatis, ut mari, solitudine, insulis vacuis, & si qua alia sunt loca, in quibus nulla est civitas.

Vid. *inf. d. lib. II. cap. XX. §. VIII. num. 5.*

*Facto*, si subditi iudicem non audiant, aut iudex aperte cognitionem reiecerit.

Vid. *Iudic. cap. XVII. §. 6. & Aelius lib. V. Kar. His. cap. 13. Iudicis appellacione. Sapientia Imperans hic intelligitur, a quo provocatio non datur. Conf. Lucanus de huiusmodi anarchia in bello ci-*  
*vili, lib. II. §. 252.*

Quod

Quod diximus etiam post iudicia constituta lis cessa-  
Naturali iuri non repugnare omne bellum priva-  
tibus licitum bellum.  
tum, etiam ex lege Iudeis data intelligi potest, priv. 1. ob  
*Exodi xx.* Leg. Mos.

Verba haec sunt: *Si in effosione deprehensus fur ita per-  
cutiatur, ut moriarur, ne reus caedis esto persecutor;  
ni iam dies illuxerit, tunc enim reus caedis erit.*

Omnino enim videtur haec lex, tam accurate 2. ob rat.  
distinguens, non solum impunitatem inducere, nat.  
sed *Ius* etiam *Naturale* explicare; neque fundari  
in peculiari aliquo mandato divino, sed in com-  
muni aequitate.

Hac de re Auctor infra aget lib. II. cap. I. §. XII.  
num. I.

Vnde alias etiam gentes id sequutas videmus. 3. ob Leg.  
Notum est illud *xii. Tabb.* haud dubie ex veteri Att. &  
*Iure Attico* profectum, Rom.

*Si nox furium faxit, si im aliquis occisi, iure caesus esto.*  
Tab. 11. leg. iv. Conf. lex Solonis apud Demosthe-  
nem *Orat. in Timocraitem*, p. 476. Εἰ τὸς νύκτως δ-  
τιέν κλέπτοι, τέτοι εξεῖναι, όχι ἀποκτεῖναι, όχι τρῶ-  
σαι διώκοντας, όχι απαγαγεῖν τοῖς ἔνδεκας, εἰ θελοίτο.  
*Si quis noctu aliquid iuretur, hunc & occidere, &*  
*inter persecundum vulnerare, & ad Undecimviro*  
*abducere, si libuerit, ins esto.* Vid. Sam. Petitus  
lib. VII. tit. v. ad *LL.* Att. p. 550.

Sic

## 40 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

4. ob con- Sic *insons* omnium, quos novimus, populorum  
sensum legibus iudicatur, qui adversus adgressorem ar-  
omnium gentium. mis *vitam periclitantem* defenderit: qui tam ma-  
nifestus consensus testimonium praebet, nihil in  
eo esse, quod *Naturali Iuri* aduersetur.

Hac de re *inf. lib. II. cap. I. §. 3. & seqq.*

### I I I.

An & Iu- De *Jure Divino Voluntario* perfectiore, Evan-  
re Evan- gelico scilicet, plus est difficultatis.  
gelico?

Dictum de eo *sup. cap. II. §. VI. p. 17. Conf. ibid.  
§. IX. p. 28.*

Quin Deus, cui plus iuris est in vitam nostram,  
quam nobis ipsis, potuerit a nobis patientiam eo  
usque exigere, ut etiam privatim in periculum  
adducti, occidi deberemus potius, quam occi-  
dere, ego non dubito. An autem voluerit nos  
eo usque obstringere, id est, quod inquiri-  
mus.

Negan- Solent pro *adfirmante* sententia adferri *duo lo-*  
tium arg. *ca*, quae supra adduximus ad *quaestionem gene-*  
1. & 2. *ralem, Matth. v. ¶. 39. & Rom. XII. ¶. 19.*

*Sup. cap. II. §. VIII. arg. 2. 3. & 4.*

*Ter-*

L I B E R I . C A P V T III. 41.

Tertius autem locus est in Christi verbis ad Pe. Argum. 3.  
trum, Matth. xxvi. ¶. 52.

Vid. sup. §. viii. argum. 8. p. 26. seq.

Addunt his nonnulli *Christi exemplum*, qui Argum. 4:  
pro inimicis sit mortuus.

Rom. v. ¶. 8. 10.

Neque desunt inter *Christianos Veteres*, qui Argum. 5.  
*bella quidem publica* non improbaverint, sed de-  
fensionem *privatam* putarint vetitam.

Ambrosius serm. viii. & lib. i. de Offic. cap. 27. Conf.

Idem lib. x. in Luc. cap. 22. & lib. iii. de off. cap.

4. Et Augustinus lib. i. de Lib. arb. cap. 5. & e-  
pist. 154. add. lib. i. de Civ. Dei, cap. 26. Conf.

Grotius b. l. & Barbeir. in not. Gall.

Sed *opposita sententia*, sicut receptione est, ita Sententia  
verior nobis videtur, ut talis patientia non sit in Auctoris  
obligatione: iubemur enim in *Evangelio* proxi-  
adaffirma-  
mum amare iuxta nos ipsos, non prae nobis ip-  
sis: immo ubi par malum imminet, non veta-  
mur nobis potius quam aliis consulere.

Immo vero quum in moralibus officium *minus* semper  
*maiori* cedat; maius autem officium sit, unde  
maiis bonum redundat; & vero maius ex salute  
praestantioris bonum oriatur: omnino maius offi-  
cium erga praestantiores, quam erga feme*tum* ip-  
sum, esse dicendum est. Atque hinc illa erga  
F patriam

42. POSITIONES TURIS NATVRAE.

*parvum obligatio omnium maxima oritur, nec non erga eos quorum salute salus pariae quam maxime continetur. Cicero lib. I. de Offic. Offic. cap. 17. Cum omnia ratione uniusque Iustitiae, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae ex ea republica est unicuique nostrum: cari sunt parentes, cari liberi, propinqüi, familiares; sed omnes omnium caritates patrie una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Pluribus de hoc officio inf. cap. IV. huius lib. agemus. Interim ceteris paribus, utri autem, sane sibi quisque magis, quam alteri obligatur, &c hoc deamur sensu verum est illud vulgatum: amor bene ordinatus incipit a se ipso. Vid. Exodus cap. XXXIII. vs. 32. Acto. XV. vs. 26. Epist. ad Rom. IX. vs. 5. ad Coloss. I. vs. 24. I. ad Timoth. II. vs. 10. Vid. etiam Matthaeus Evang. XXV. vs. 9. Conf. Augustinus de Mendacio ad Consentium, cap. 6.*

Instantia negantium.

*Instet forte aliquis, & dicat: etiamsi meum bonum praeserre possim bono proximi, hoc tamen locum non habere in bonis inaequalibus; quare vitam meam mihi potius deserendam, quam invasor permittatur incidere in perpetuam damnationem.*

Adeam responso.

*Sed responderi potest: saepo etiam eum, qui impetratur, opus habere tempore ad poenitentiam, aut probabiliter ita existimari: & ipsi quoque aggressori ante mortem posse ad poenitentiam spatium superesse. Deinde morali iudicio non videri*

deri aestimandum illud periculum, in quod ipsum se quis coniciat, unde se potest eximere.

Vid. Pufendorffius lib. II. de Iur. Nat. & Gent. cap. v. §. 14. ibid. Cl. Barbeir.

Illud vero Christi dictum *Matth. v. vs. 39.* Respon-  
*Ne resistite iniuriā facienti*, non magis universa-  
 le est, quam quod sequitur, *Date omni petenti*,  
 quod exceptionem admitit, dum ne nimium  
 nos praegravemur. Praeceptum etiam *de non re-  
 sistendo* suām habet adiunctam explicationem per  
 exemplum alapae, ut intelligatur tum demum  
 praecise nos obligare, cum ea impetrīmus iniuria,  
 quae aut alapa sit, aut alapae par.

Vid. dicta superius §. viii. cap. praec. p. 23. add. can.  
 19. Dift. 86. & Isidorus de norma vivendi, §. 18.

In verbis Pauli *Rom. xii. vs. 19.* Mn̄ ēautḡc Respon-  
 ēndixḡvtes, omnino ēndixēt, non tuendi sed ulcif. fio ad ar-  
 cendi habet significationem. gum. 2.

Supra ibid. p. 24. Contrarium habet Cicero lib. II. de  
 Invent. cap. 22. & 53. Accedit Aristoteles lib. IV.  
 Ethic. cap. 2. Saniora multo Lucretius lib. V. vs.  
 1144. seqq. & Seneca lib. II. de Ira, cap. 32. &  
 Juvenalis sat. XIV. vs. 180. seqq.

Quod vero Petro dictum est, *Matth. xxvi. F 2* Respon-  
 vs. 52. fio ad ar-  
 gum. 3.

44 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

¶. 52. continet quidem prohibitionem utendi gladio, sed non in *defensionis* causa; neque enim se opus habebat defendere, neque Christum, nam defendi solebat. *Vtiscendi* ergo animo Petrus, ut erat servidus, non *defendendi* ferebatur: adde quod arma sumebat in eos, qui nomine publicarum potestatum adventabant, quibus anullo casu resistere liceat, peculiaris est *quaestio*, infra a nobis peculiariter tractanda.

*Inf. Cap. i v. bni. lib. §. 1. num. 2. & §§. seqq.* Ceterum Osiander ad *b. l.* magno conatu magnas contra auctorem agit nugas, *p. 445. seqq.*

Quod autem adiicit Dominus *Mattb. d. l.* *Omnis qui gladium acceperint, gladio peribunt;* aut proverbium est ex vulgi usu desumptum, quo significatur, sanguinem sanguine elici, ideoque armorum usum periculo nunquam vacare: aut indicat, non esse quod nos Deo praeripiamus *ultionem*, quam ipse suo tempore satis sit exacturus: simulque his Christi verbis *vaticinum* videtur inesse de poenis, quas a sanguinariis Iudeis erat exacturus gladius Romanorum.

Idem videtur horum sensus verborum esse, qui sententiae Noacho dictae, *Gen. ix.* ¶. 5. & 6. qua dictum *sup. cap. ii. §. v. p. 16. & seq.*

Responso ad ar-  
gum. 4. *Ad Christi exemplum, qui pro inimicis mor-  
tuus dicitur, Rom. v. ¶. 8. 10. responderi pos-  
test;*

test; Christi facta omnia quidem *virtutis* esse plena, & quae, quoad eius fieri potest, imitari laudabile sit, & suo *praemio* non caritatum; non tamen omnia eiusmodi esse, ut aut ex *lege* veniant, aut legem faciant.

*Legis* adpellatione Grotius praeceptum intelligit, cuius violatio poena coercetur: quo sensu eam distinguit a *consilio*, cuius neglectus tantum praemii virtutem sequentis frustratio est. Sed vides. dicta superius *ad cap. II. §. IX. p. 28.*

*Et Christus nos animam nostram periculis obiciere iubet, non pro quibusvis, sed pro eiusdem disciplinae confortibus, I. Ioann. III. ¶ 16.*

Inno pro *omnibus*, si officii ratio ita exigat, salvo tamen officiorum ordine, de quo paullo ante diximus.

Quae vero ex *Christianis Scriptoribus* adlatae Respon-sunt sententiae, partim videntur consilium magis, & sublimis propositi commendationem, quam destrictum praeceptum continere; partim privatae sunt ipsorum, non communes totius Ec-clesiae.

Ceterum illis *Patrum* locis non tam necessaria sui de-fensio, quam *vindictae* cupidio, & quae defensionis terminos excedunt, damnari videntur.

## I V.

Belli publici divisione.  
**Publicum bellum aliud est solemnne ex Iure Gentium: aliud minus solemnne.**

Discrimen hoc *Ius Naturae* ignorat, tribendumque adeo *Iuri Gentium*, tum propter usum, tam proper effectus. Vid. sup. cap. I. §. xiv. p. 9, & inf. lib. III. cap. II. §. 6.

Bellum solemnne.  
**Solemne quod hic voco, plerumque iustum dici solet, eo sensu, quo iustum testamentum codicillis, & iustae nuptiae servili contubernio opponuntur.**

Vid. Interpp. Iuris Civilis, ad tit. D. de R. N. & de Iure Codic. Conf. Pet. Perrenonius lib. I. Animadv. cap. 9. tom. I. Thes. Iur. Civ.

Eius requisita.  
**Vt bellum solemnne sit ex Iure Gentium, duo requiruntur: primum, ut geratur utrumque auctore eo, qui summam potestatem habeat in civitate: deinde, ut ritus quidam adsint.**

Ratio primi requisiti est, quia non alio quam publico civitatis nomine bellum geritur, adeoque & publica eiusdem auctoritate opus est, quam supremus Imperans repreäsentat. De publicis ritibus, belli requiſito altero, inf. agitur lib. III. cap. III. §. 5. seq.

*seq. Conf. Ayala lib. I. de Iure Belli, cap. I. & Boelerus in Diff. de Manifestis & Clarig.*

Haec quia coniunctim requiruntur, alterum si.  
ne altero non sufficit.

Alterum enim si desit, vel privatum erit bellum, vel mix-  
tum, vel saltem minus solemne. Sup. §. I. hui. cap. p. 35.

Bellum autem publicum minus solemne potest Bellum  
& ritibus illis carere, & geri in privatos, & au- minus so-  
etorem habere Magistratum quemvis. lemne.

Accurate loquendo solum illud bellum minus est so-  
lemne, quod solis ritibus Iuris Gentium desti-  
tutur; reliqua enim bella, hic memorata, privata  
potius & mixta sunt, quam publica. Vid. §. seq.

## V.

At quibus eventibus ius armorum movendo- Bellum  
rum esse Magistratis minoribus constat, an bel- minus so-  
lum tale publicum sit dicendum, dissentient Lu- lemne an  
& quando  
ris interpretes. Sunt qui aiunt: sunt qui ne-  
gant.

Vid. Ayala lib. I. de Iur. Belli, cap. II. §. 7, 8, 9. &  
alii a Grotio citati in marg. ad h. l. Conf. Pufen-  
dorffius lib. VIII. de I. N. & G. cap. VI. §. 10. ibiq.  
Cl. Barbeir.

Sane

## 48 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Sententia  
Auctoris  
Ex partita:  
una.

Sane si *publicum* non aliud dicimus, quam quod fit iure *Magistratus*, dubium non est, quin talia bella publica sint; ac proinde qui in tali facti specie *Magistratibus* se opponunt, in poenas incident contumacium adversus supra se positis.

Vid. sup. ad §. I. hui. cap. p. 35.

Altera.

Si vero *publicum* sumitur in excellentiore significatu pro eo quod *solemne* est, ut saepe sumi extra controversiam est; non sunt bella ista publica: quia ad istius iuris plenitudinem, tum iudicium *summae potestatis*, tum *alia* requiruntur.

Conf. sup. §. IV. ibiq. adscripta p. 46.

Ostie-  
tationis  
solutio.

Neque me movet, quod etiam in tali contentione soleant res *auferriri* obstantibus, ac *militibus* etiam concedi. Nam id *belli solemnis* non ita proprium est, ut non alibi etiam locum habere possit.

Vid. Ampl. Praeses Corn. van Bynkershoek lib. III.  
*Observatt.* cap. 14.

Species  
singularis.

Sed & illud accidere potest, ut in imperio late patente inferiores potestates *belli inchoandi* habeant potestatem: quod si fit, iam sane censendum erit bellum geri ex vi *summae potestatis*. Nam quod

quod faciendi quis alii ius dat, eius ipse auctor censetur.

Quod in praemisso verborum contextu de bello *inchoando*. Grotius scriperat, id in notis suis *ad h. l. de gerendo* intellexit, facili memoriae lapsu; cui proinde lapsui illa citatio legis *Friderici I. Imp.* ex Abbatte Vrspergensi tribuenda est, utpote qua non de Magistratis propriis dictis, verum de Principibus Imperii Romano-Germanici agitur, inter quos & Magistratus propriis dictos, quanta sit differentia, *Iuris Publici doctrina* neminem ignorare patitur. Vid. Hertius in *diss. de Super. territ.* & Leibnitius *de Suprematu Princip. Germ.*

Illud magis controversum: an ubi tale mandatum non est, sufficiat *conjectura voluntatis?* Mihi id admittendum non videtur. Neque enim voluntatis hoc sufficit videre, quid hoc rerum statu summam imperantem habenti, si consulatur, placitum sit: sed hoc magis videndum, quid ille, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, se inconsulto cupiat fieri, si ea de re lex ferenda sit? Nam ut maxime in aliquo facto *particulari* cesset inspecta particulariter ratio, quae voluntatem summi Imperantis movet; non tamen cessat ratio sumta *universaliter*, quae periculis occurri vult: quod fieri non potest, si eius rei ad se magistratus quisque iudicium trahat.

Eadem ab Auctore *quaesito* hic tractatur, quae in praeced. quando nempe inferiores potestates ius vide-

antur habere *inchoandi bellū*; utrum duxaxat, si  
expresse illis id concessum sit, an vero & sine con-  
cessione, ex *prae sumpta* voluntate supremi Imperan-  
tis? Priori iam adfirmato posterius hic refellitur:  
nempe quod ad bellum *inchoandum* attinet; *propul-  
sandi* enim ius utique magistratibus competere, iam  
*supra ad fin.* §. iv. auctor tradidit. Atque hanc,  
non aliam, Grotii mentem esse, exempla subiecta  
*Manlii, Caesaris, & aliorum*, qui iniussu Senatus  
Populique bella non lacesteti ultro inchoaverant, ma-  
nifeste evincunt. Neque Gronovius itaque, neque  
alii in suis *ad h. l.* notis thesin, quod aiunt, Au-  
ctoris seruisse videntur.

Transitio  
ad mate-  
riam de  
summa  
potestate.

**Quum vero dictum sit, bellum publicum geri  
non debere, nisi eo auctore, qui summam pote-  
statem habeat; & ad huius rei, & ad quaestionis  
illius, quae est de bello solemni, intellegetur;  
atque adeo ad alia multa, necessarium erit, quae  
fit *summa illa potestas*, quique eam habeant, in-  
telligere.**

Quam Auctor *summam* hic *potestatem*, scriptores po-  
litici proprio vocabulo *maiestatem* vocant, quae uti  
infra latius tradetur, nihil est aliud, quam comple-  
xus, & ut ita loquar, coadunatio naturalis pote-  
statis, qua singuli ante conditam civitatem in statu  
utebantur naturali: haud fere aliter, ac multarum  
concentus vocum harmoniam musicam efficit, &  
organicus membrorum motus vitam corporalem.  
Quae vero hanc inter *maiestatem*, & publicum eius  
*exercitium* sit differentia: quae *origo* utriusque:  
paullo inferius ex professo ostendemus.

VI.

## V I.

Facultas moralis civitatem gubernandi, quae Potestatē civitatis civilis vocabulo nuncupari solet, a Thucydide tribus rebus describitur; cum civitatem, civitas quae vere civitas sit, vocat *αὐτογονον*, suis uterū tem legibus, *αὐτοδικον*, suis iudiciis, &c *αὐτονομην*, suis magistratibus.

Thucydides lib. v. cap. 18. ibid. Schol. & Grotius in not. ad h. l.

Aristoteles tres facit partes in administranda Republica: 1. consultationem de *rebus communibus*. 2. curam legendorum *magistratum*. & 3. *Iudicia*. Ad primam autem partem refert deliberationem de *bello*, *pace*, *foederibus* faciendis ac dissolvendis, de *legibus*: addit de morte, exilio, publicatione, & repetundis, hoc est, *Indicia publica*; cum prius *Iudiciorum nomine privata* intellexisset.

Vid. Aristoteles lib. iv. *Polit. cap. 14.*

Dionysius Halic. tria maxime notat: *ius magistratum* creandorum: *ius legum condendarum* & tollendarum: *ius decernendi de bello ac pace*. Alibi addit quartum, *Iudicia*: rursum alibi adiicit

52 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

cit curationem *sacrorum*, & convocationem *co-*  
*militorum.*

Dion. Halicarnassensis lib. iv. cap. 20. lib. vii. cap.  
56. & lib. xi. cap. 14.

Divisio Auctoris. At si quis recte partiti velit, facile quae huic  
spectant reperiet omnia; ita ut nihil aut desit,  
aut redundet.

Nam qui *civitatem* regit, eam partim *per se*,  
partim *per alios* regit.

*Per se* autem versatur aut circa *universalia*,  
aut circa *singularia*.

Circa *universalia* versatur condendo *leges*, eas-  
que tollendo; tam circa *sacra* (quatenus eorum  
cura ad civitatem pertinet) quam circa *profana*.

De Iure circa *sacra* inferius agemus §. 20. *hui cap.*

*Singularia*, circa quae versatur, sunt aut *direc-*  
*te publica*, aut *privata* quidem, sed quatenus ad  
publicum ordinantur.

*Directe publica* sunt, vel *actiones*, ut pacis,  
belli, foederum faciendorum; vel *res*, ut vesti-  
galias, & si quae his sunt similia: in quibus &  
comprehenditur *dominium etinens*, quod civitas  
habet in cives & res civium ad usum publicum.

Vid. *sup. cap. I. §. vi. p. 5.*

Pri-

*Privata* sunt res *controversae* inter singulos,  
quas publica auctoritate dirimi publicae quietis  
interest.

Sup. cap. III. §. I. p. 36. & seq.

Quae per alterum expediuntur, ea expediun-  
tur aut per *magistratus*, aut per alios curatores,  
in quibus sunt & legati.

*De Legatis*, eorumque iure *infra agitur lib. II. cap. 18.*

Ceterum ad *partitionem* publicae administrationis,  
sive exercitii maiestatis, quod attinet; missa in-  
tricatiore, tum Grotii, tum aliorum divisione, ita  
commodissime, ni fallor, ea instituetur, si *pri-*  
*mum* ad duplēcēm cuiusque civitatis statum, in-  
ternum & externum, attendamus; ac *deinde* ad  
negotia utriusque status propria, hoc fere modo:  
Pro *duplici* civitatis *statu*, interno, & externo, duplex  
quoque est supremae potestatis administratio; una  
negotiorum ad internam civitatis structuram per-  
tinentium; altera negotiorum externorum. Ne-  
gotia illa *priora* recipiunt vel civitatem *totam*,  
consideratam ut unum corpus, vel ut conflatam  
e singulis, eam constituentibus: illa publica, haec  
privata negotia adpellantur; unde illa Iuris in *publi-*  
*cum* & *privatum* divisio exoritur; §. I. Inst. de Iust.  
& Iur. Ad *publicum Ius* leges pertinent, tum civiles,  
tum sacrae; item *magistratus*, & *iudicia*; vectigalia  
denique, valor monetae, & *iura regalia*. Ad *Ius*  
*privatum* negotia singulorum circa personas, res,  
& actiones referuntur; quae tria Iuris *objcta*

G 3 vulgo

## POSITIONES IURIS NATVRAE

vulgo numerantur, s. ult. Inst. de Iur. Nat. Gen. & Civ. Haec ad statum internu[m]. Externa civitatis negotia cum aliis populis intercedunt, de pello, pace, foederibus, legatis, iure praecedentiae, aliisque similibus. H[ic] convenienter partitioni, patet ex iam dictis, facultatem moralem, uti vocat Grotius, administranda civitatis, esse dupl[icem]: rectoriam *unam*, deliberativam *alteram*. Facultas *rectoria* eadem est quae & *legiflatoria* & *judicaria* adpellatur, in civili occupata regimine, Aristotelii *διρχιτεκτονική*, *νομοθετική*, & *δικαιονή*. *Deliberativa* autem, alio nomine *consulsitoria*, circa externam civitatis tranquillitatem, utilitatemque versatur, Aristotelii *πολιτική* & *βελευτική*. De singulis utriusque h[ab]itus facultatis partibus, in progressu tractatoris, satis locis agetur.

## V I I.

Potestatis civilis definitio. *Summa* civilis potestas illa dicitur, cuius actus alterius iuri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanae arbitrio irriti possint redi.

Vid. Hobbesius de Cive, cap. vi. §. 18. & seqq.

*Alterius* cum dico, ipsum excludo, qui summa potestate utitur, cui voluntatem mutare licet; ut & *successorem*, qui eodem iure utitur, ac proxime eandem habet potestatem, non aliam.

De iure Successoris, eiusque ad actus sui Antecessoris obligatione, intra agitur lib. II. cap. XIV. §. 10. seqq.  
Sub-

## L I B E R I . C A P V T III . 5

*Subiectum* porro summae huius potestatis aliud est *commune*, aliud *proprium*.

Prius illud vulgo *passuum*, posterius *actuum* minus accurate dicitur.

*Subiectum commune* est *civitas*, quam perfectum coetum esse *supra* diximus.

Vid. cap. I. §. xiv. p. 8.

*Subiectum proprium* est *persona* una, pluresve, pro cuiusque gentis legibus ac moribus.

Tres simplices, sive regulares, civitatum *formas* Autor intelligit: monarchicam, aristocraticam, & democraticam, ita distinguente Aristotele lib. IIII. Polit. cap. 5. & IV. Polit. 3. item Ethic. lib. IIII. cap. 12.. Quem Cicero sequitur in fragm. lib. IIII. de Rep. nec non Strabo lib. I. p. 18. & Seneca Epist. xlv. Pleraequae tamen civitatum, uti odim, ita hodie, *mixtae* potius sunt, sive *irregulariter*, plus minusve, quam simplices, aut regulares. Vid. Hobbesius de Cive, cap. VII. & Pufendorfius in Diff. de Rep. Irreg. Idem lib. VII. de Iur. Nat. & Gent. cap. v. quibus addesis Thomassium in Iurisprud. Div. lib. IIII. cap. VI. §. 33. seqq.

## VIII.

## V I I . I .

An summa potestas semper sit populi? nec gatur. Hoc loco primum reiicienda est eorum *opinio*, qui ubique, & sine exceptione, summam potestatem esse volunt *populi*; ita ut ei Reges, quies imperio suo male utuntur, & *coercere* & *punire* liceat: quae sententia quot' malis caussam derit, & dare etiamnum possit, penitus animis recepta; nemo sapiens non videt.

Rectissime ita Grotius, si modo recte eius verba intelligentur, de *iure* nempe *regendi*, sive de exercitio iurium maiestatis, in Reges, vel optimates, rite translato, & nunquam sine gravissima caussa; uti *infra* dicetur, iis abrogando: neque enim de *majestate* ipsa hic agitur, eiusque iure vero ac proprio, uti perperam Boeclerus & Kulpisius d. l. haec accipiunt. Vera enim maiestas semper *populi* est; & civitati, qua tali, liberorum nempe hominum, non servorum coetui, sua natura ita inhaeret, ut separari ab ea nequeat; quam & *realem* proinde *majestatem* dicimus, distinctam a *personalis*, imperantium personis competente, & in prioris exercitio unice posita. Hanc vero Grotii mentem vere esse, non solum ex doctrina eius superiore de duplice patet *subiecto*, communi & proprio; verum etiam ex eius sententia de distinctione imperii, quod in Rege est, ut in *capite*, & in *populo*, ut in *toto*, uti *infra* habet lib. II. cap. IX. § VIII. num. 1. manifestum est. Arque haec ab omni aevō cordatorum hominum doctrina, a solis hodie aularum mancipiis,

piis, qui uti nobis non satis liberi, ita Regibus non satis servi videntur, ut impia ac seditione traducitur. Alia longe Schelius, Sidneius, Noodtius, aureae libertatis vindices, posteris prodiderunt: rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, & quae sentias dicere licet.

Nos his *argumentis* eam refutamus: licet *ho-* Argum. I.  
*mini cuique* se in privatam servitutem cui velit addicere: quidni ergo *populo suo iuris* liceat se unicuiquam, aut pluribus ita addicere, ut *re-*  
*gendi sui ius* plane in eum transscribat, nulla *co-*  
*ius parte retenta?*

De addictione sui ipsius in servitutem *infra* agitur lib.  
 II. cap. V. §. 27.

Neque dixeris, minime id *praesumi*: non enim iam quaerimus, quid *in dubio* *praesumen-*  
*dum sit*, sed quid *iure fieri possit*.

Frustra quoque adferuntur *incommoda*, quae hinc sequantur, aut sequi possint: nam *qua-*  
*lemcunque formam* *gubernationis animo finxe-*  
*ris*, *nunquam incommodis aut periculis care-*  
*bis*.

Sicut porro multa sunt *vivendi genera*, alte- Argum. 2.  
 rum altero *praestantius*, & *cuique* *liberum est ex*  
*tot generibus id eligere*, quod *ipsi placet*: ita &  
 H popu-

## 58 POSITIONES IURIS NATVRÆ.

*populus* eligere potest qualem vult gubernationis formam: neque ex *praestantia* huius aut illius formae, qua de re diversa diversorum sunt iudicia, sed ex *voluntate* ius metiendum est.

Ea tamen regiminis forma merito *optima* censetur, quae cuiusque populi *genio* convenientior est. Ita ad suetus Regibus *orans* a populari regimine abhorrebat. Tacitus lib. iv. Hist. cap. 17. Iustinus lib. xii. cap. 2. Contra vero Germanorum libertas regno Arsacis actior a Tacito praedicatur de M. G. cap. 38. Germanum Scythicumque bonum Lucanus dixit lib. vii. §. 435.

Argum. 3. Neque etiam non multae extare possunt causae, cur *populus* *ius* totum *imperandi* a se abdicet, aliique tradat: puta, quia in *periculum* *vitae* adductus alia lege, qui se defendat, reperire non potest: aut quia *inopia* pressus aliter habere non potest copiam, unde se sustentet.

Ita Campani se dediderunt Romanis apud Livium lib. vii. cap. 31.

Argum. 4. Accidere etiam potest, ut *paterfamilias*, latifundia possidens, neminem alium in suas terras habitantem recipere velit: aut ut quis magnam servorum copiam habens eos manumittat, sub *imperii* ferendi & *census* pendendi legibus.

Huc servi veterum pertinent Germanorum, de quibus

L I B E R . I . C A P V T . III . 59

bus Tacitus de *M. G.* cap. 25. Non autem Ae-  
gyptii, tempore Iosephi, uti male Gronovius  
ad *b. l. ex Genes. XLVII.* §. 13.

Adde quod, sicut Aristoteles dixit, quosdam Argum. 5.  
homines *natura esse servos*, id est, ad servitu-  
tem aptos; ita & *populi* quidam eo sunt ingenio,  
ut regi quam regere norint rectius.

Aristoteles lib. I. *Polit.* cap. 2. Vid. Heinsius in *Diff.*  
*Epiſt. ad Richterum.* Pufendorfius lib. III. cap. II.  
§ 8.

Neque etiam non aliquos movere poterunt Argum. 6.  
*exempla gentium*, quae per saecula plurima  
sub imperio plane regio satis feliciter vixe-  
rint.

Optimus civitatis status sub *Rege iusto* est, auctore  
Seneca lib. II. *de Benef.* cap. 20. Conf. Livius  
lib. XLII. cap. 5.

Est & interdum *is civitatis status*, ut videa- Argum. 7.  
tur nisi sub libero unius imperio salvus esse non  
posse.

Exemplo est Romanorum respublica temporibus Au-  
gusti, de qua Tacitus lib. I. *Ann.* cap. 9:

Iam vero *bello iusto*, ut ante diximus, si. Argum. 8.  
cut adquiri potest *dominium privatum*, ita  
H 2 &

60 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

& civile, sive *ius regendi* non aliunde pendens.

De iure victoriae *inf. lib. IIII. cap. 15.*

Argum. 9. Deinde & *populi* quidam alios sub se populos habent, non minus addictos sibi, quam si Regibus parerent.

Exempla oppido multa Grotius attulit in *not. ad b. I.*

Haec omnia convelli necesse est, si id recipimus, *ius regendi* semper subditum esse eorum iudicio, ac voluntati, qui reguntur.

Ius regendi, sive *maiestatem personalem*, ita a populo in supremos Imperantes translatum esse, ut pro lubitu & sine *iusta causa* revocari non possit, paullo superius iam monuimus. Neque enim imperii civilis translatio cum contractu *mandari*, quod sua semper natura revocabile est, confundi debet; quemadmodum *pec. tract.* contra Iacob, Perizonium in *Orat. de Iur. Imp.* & liosque civilis doctrinae genuinis principiis non penitus imbutos, solide evicit Vir summus Vlr. Huberus, in *Diss. de Iure pop. optimat.* & *regal. imp.* Conf. Eiusdem Opus *de Iur. Civit.* lib. I. sect. IIII. cap. I. Quanquam vero illud regendi ius, rite translatum, revocari *pro lubitu* non possit; quin tamen populo ob iustas gravissimasque *cansas* revocare illud liceat, ego quidem nullus dubito. Quidni enim in societate ci-

vili

vili id obtineret, quod in societatibus aliis, etiam naturalibus, locum habere omnes largiuntur? Si divortio ius *maritale*, si necessaria emancipatione potestas *patria*, similique manumissione *dominica* potestas, invitis marito, patre, domino, extinguitur: quae sodes ratio impedit, quominus & ius *supremi Imperantis* iustas ob caussas dissolvi possit? Nolim mihi obiici, id in Civitate tantum & ex voluntate superioris ita obtinere: in iis vero, qui superiorem non hahent, recipi non posse. Immo vero & *naturali* in *statu* locum ista habent, haud secus ac necessaria sui suorumque conservatio: quae quum Iuris sit *Naturalis*, & unicuique legitimam dat facultatem omnem a se periculum, iniuriam & vim arcendi; non video quare ob defectum superioris, istis causibus uxori, filio, servo, naturalem in libertatem se se vindicare non liceat, & marito, patri, domino, obsequium renunciare? Quid? quod non licere istud modo, verum & ipso Naturae Iure praeceptum esse dicendum sit: quum ceteris paribus sibi quisque magis, quam alteri obligetur, & sufficit, aliquem *iure superiorem* esse, licet adversarius *facto* imperium teneat: omnis enim humana subiectio ex pacto oriunda, tanquam officium minus, sua cuiusque conservationi, ut officio maiori, cedat necesse est. *Civitas* itaque, universim considerata, utpote in *statu* agens *naturali*, quamvis sui imperium in Regentes absolutum perpetuumque transtulerit, eodem tamen iure gaudere censenda est, quo singuli; ut scilicet suae conservationis caussa, cui per naturam renunciare non potest, illud imperium

## POSITIONES IVRIS NATVRAE.

rium repetere, suosque Rectores abdicare possit; ubi id nempe salus publica, sive, interna exter-  
nave tranquillitas, unicus certe imperii translati  
finis, postulare videatur. Finis enim particularis  
universalis cedit, salusque civitatis saluti Regen-  
tium praeferenda, haud secus ac parti totum.  
Quae proinde *instae* huiusmodi abdicationis sint  
*causae*, facile perspicitus: eae nempe, quae  
cum publico civitatis bono ita sunt coniunctae,  
ut salva esse civitas nisi per imperancium abdica-  
tionem non possit, quae *debronisatio* vulgo di-  
citur. Quae vero *causae* hic observari, qui  
*modus* insticui, quis denique *effectus* obtinere  
debeat, in sequentibus suo loco monebitur.

Exempla  
Regum &  
populo-  
rum.

At vero esse *Reges*, qui populi etiam univer-  
sim sumti arbitrio non sublint, tum sacra tum  
profana *historia* testantur.

De *free Regio* apud Samuelem infra dicemus ad cap.  
xxv. §. 3.

Et Aristoteles *Reges* quosdam esse ait cum eo  
iure, quod alibi habet ipsa *gens* in se ac  
sua.

Aristoteles lib. 111. Polit. cap. 14.

Sic postquam *Romani Principes* imperium vere  
regium usurpare coeperunt, dicitur *populus in*  
*eos omne suum imperium & potestatem contulisse*,  
*etiam in se*, ut interpretatur *Theophilus*.

Iusti-

Iustinianus §. 6. *Inst. de Iur. Nat. Gent. & Civ.* iunc.  
*l. 1. D. de Conf. Princ.* Theophili errorem jam no-  
tavit Noodtius *lib. 1. Obs. cap. 3.* Ceterum de Le-  
ge Regia sub Impp. Rom. in *Doctr. Inst.* agimus  
ad tit. *II. lib. 1.*

*Quin & in populis, qui perpetuo Regibus non  
subsunt, exemplia videmus quasi temporarii regni,  
quod populo non subsit.*

Refert eo Auctor potestatem *Amnemonum* apud Cni-  
dios ex Plut. in *Gr. Quaest.* 292. tum imperium  
*Dictatorum* apud Romanos; denique in *not. ad*  
*h. l.* munus *Censorum*, ex Livio *lib. xxix. cap.*  
37. Quod vero ad *Amnemones* attinet, erroris  
Auctorem convicit Gronovius *ad h. l. De Di-  
ctatoribus*, etiam optima lege creatis, contrarium  
post alios demonstravit Buddeus in *Spec. Inrisp.  
Hist.* § 43. *seqq.* De *Censoribus* nemo quod  
sciam dubitat, quin meri magistratus fuerint.  
Vid. *Gundlingiana part. XVI. obs. 1.*

Quae pro *contraria sententia* adferuntur argu-  
menta, ea solvere difficile non est. Nam pri-  
mum, quod adseverant, eum a quo quis consti-  
tuitur, esse superiorem constituto; verum dun-  
taxat est in ea constitutione, cuius effectus per-  
petuo pendet a *voluntate constituentis*; non etiam  
in ea, quae ab initio est voluntatis, postea vero  
effectum habet *necessitatis*.

Ad *Ius regendi* quod attinet, supremus Imperans  
populo

64 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

populo est superior: quod vero ad *maiestatem* civitatis, quam *realm* adpellamus, Imperantes etiam absolutissimi tōto populo inferiores sunt, haud secus ac pars minor est toto.

Sed nec verum est, quod adsumitur, omnes Reges *a populo* constitui: quod exemplis *patris-familias* advenas sub obediendi lege acceptantis, & *gentium bello devictarum*, satis intelligi potest.

Immo vero in utroque hoc casu nisi *voluntaria* interveniat *subiectio*, saltem tacita, civile imperium nasci non potest: qua de re *infra pluribus*.

Contra-  
riac sen-  
tentiae  
argum. 2.

*Alterum* argumentum sumunt ex dicto *Philosophorum*, regimen omne eorum qui reguntur, non qui regunt, caussa esse paratum: unde sequi existimant, ex *finis nobilitate*, eos qui reguntur superiores esse eo qui regit.

Sed nec illud *universaliter* verum est, omne regimen eius qui regitur caussa esse comparatum: nam quaedam regimina per se sunt *regentis causa*, ut dominicum: nam *servi utilitas* ibi extrinseca est & adventitia; sicut *medici lucrum* ad ipsam medicinam non pertinet.

Simile plane inconveniens. *Servus* sane suae utilitatis caussa servit domino: hic vero & suae utilitatis caussa operis servi uitetur, & praeterea regendo

do eius actiones non tam sibi, quam servo consulit.

Sunt alia regimina *mutuae utilitatis caussa*, ut maritale.

Omnis *coniugum* mutua utilitas tantum adventitia est, quum ex scopo huius status primario generis propagandi caussa sit sola principalis. *Inf. lib. II. cap. v.*

Sic imperia quaedam esse possunt comparata ad *Regum* utilitatem, ut quae *victoria* parta sunt; & non ideo tyrannica dicenda sunt; cum *tyrannis*, ut quidem ea vox nunc intelligitur, iniustitiam includat.

*Virumque a vero alienum puto: neque enim imperium *victoria* partum ullo colore iustum dicitur, nisi pro fine *publicam* civitatis *salutem* habeat: neque etiam *Regis* utilitas, qua talis, distingui vere ab utilitate *civitatis* potest. Quod si autem suum ipsius commodum bono publico Rex præferat, eum omnino *tyrannum* esse nemo bonus ambiget.* De voce *tyranni* Nepos in *Milt. cap. 8. ibiq. Interpp.*

Possunt & quaedam utilitatem respicere, tam eius qui *regit*, quam eius qui *regitur*: ut cum populus impotens sibi tuendo regem potentem imponit.

Omne omnino regimen in se spectatum salutis cura

alienae, adeoque *omnis est*, & a natura folis concessum prudenteribus; quemadmodum robustioribus infirmiorum defensio. Et hactenus imperium herile a civili differt: hoc enim totum ad salutem civitatis, illud simul ad domini quoque utilitatem, uti diximus, comparatum est.

Ceterum non nego in plerisque imperiis respici per se utilitatem eorum qui reguntur, & verum esse, iustitiae fruendae causa Reges constitutos.

Immo in omnibus regnis iure talibus, uti iam dictum.  
Vid. Cicero lib. 11. de Off. cap. 12. & Hesiodus in Theog. l. 83.

Sed non ideo consequens est, quod illi inferunt, populos Rege esse superiores: nam & *in iusta* pupilli causa reperta est, & tamen tutela ius est a potestas in pupillum.

Exemplo patriae potestatis idem clarissime evincitur.

Nec est, quod instet aliquis, *tutorem* si male rem pupillarem administret, amoveri posse: quare & in *Rege* idem ius esse debere. Nam in *tutore* hoc procedit, qui *superiorem* habet; at in *imperiis*, quia processus in infinitum non datur, omnino in aliqua aut *persona*, aut *coetu*, consistendum est; quorum peccata, quia per se *iudicem* non habent, *Deus* sibi curae peculiari esse testatur, qui ea aut vindicat, si ita opus esse iudicet,

dicit, aut tolerat in poenam, aut explorationem populi.

Haec μετάβασις est ius ἄλλο γένος. Non enim de *abdicatione* iam quaeritur, aut alia Regis male administrantis poena, sed de *iure* populi. Sane enim, quaecunque contra suum munus Rex agit, nullo agere iure dicendus est; adeoque & nullus iure effectus inde nasci potest. An autem *amoveri* propterea Rex debeat, populi iudicium est, qua de re in superioribus iam egimus.

Nec obstat his quae diximus, quod populi interdum puniti leguntur ob *Regum peccata*: non enim id eo evenit, quod populus Regem aut non reprimeret, sed quod vitiis eius tacite saltem *consentiret*: quanquam etiam sine eo Deus *summo dominio*, quod in vitam necemque singularium habet, uti potuit in poenam Regis, cuius supplicium est subditis orbari.

Vid. *Proleg.* § 48. & *cap. i. § x. num. 6. fin.* Ceterum *injustiae divinae* illud convenire non videtur nisi & ipsi subditi suis peccatis hanc in se poenam provocaverint, & eo sane exempla *dd. loc. adlata*, pertinent. Et qui quaeſo tacitum ob consensum in peccatis Regis puniri populus potest, nisi quia suo officio defuit, eo quod peccanti Regi obſistere neglexerit? Vid. *Io. Clericus in Comm. ad lib. ii. Sam. cap. xxii. ¶ 1. Plura inf. lib. ii. cap. xxii. § 7. & 14.*

## I X.

Mutua  
Regis &  
populi  
subiectio  
refellitur.

Sunt alii, qui *mutuam* quandam *subiectionem*  
sibi fingant: ut populus universus Regi *rete* im-  
peranti parere debeat, Rex autem *male* imperans  
populo subiiciatur.

Vid. Steph. Iun. Brutus, vel potius Hubert. Lan-  
gues in *Vind. cont. Tyrann.* qu. III. p. Re-  
fellitur autem haec doctrina pluribus a Pufen-  
dorffio lib. vii. de I. N. & G. cap. vi. § 5. seqq.  
Plura hac de re *inf. cap. iv. § VIII. seqq. & lib.*  
*ii. cap. XIV. § 12.*

Qui si hoc dicerent, non facienda ob Regis  
imperium ea, quae *manifeste iniqua* sunt, verum  
dicerent, & quod apud omnes bonos confessum  
est: sed id nullam includit coactionem, aut *ius*  
aliquid *imperii*.

Neque enim potestas Regis, etiam absolutissimi, ultra  
id, quod bonum, honestum, & iustum est,  
extendi potest, quin manifestam in *tyrannidem*  
illoco degeneret. Vid. *inf. cap. iv. § 1. num. 3.*  
& *lib. ii. cap. xxvi. § 3.*

Quod si etiam populo alicui propositum fuis-  
set *partiri* cum Rege *imperium*, fines certe  
potestati utriusque adsignari debuissent tales, qui  
cog-

L I B E R I . C A P V T . III . 69  
cognosci facile possent ex locorum , personarum ,  
aut negotiorum discriminē.

Hac de re *inf.* ad § 17. *hui. cap.* Conf. *sup.* p. 53.

*Bonitas* autem aut *malitia* actus , praesertim in civilibus , quae saepe obscuram habent discep- tationem , apta non sunt ad partes distinguen das , unde summam *confusionem* sequi necesse est ; cognitionem de re eadem pro iure potestatis , obtenu actus boni malive , hinc ad se *Rege* tra hente , inde *populo* : qualem rerum perturbatio nem introducere , nulli quod sciam populo in mentem venit.

Attamen huius forma regiminis a Caesare memoriae proditur *lib. vi. de Belo Gall. cap. 10.* & *lib. vii. cap. 4.* quanquam ita apud populum potius , quam apud Regem , summa omnium potestas esse videatur : utpote ad cuius arbitrium administrare imperium Rex obstringitur ; secus autem faciens regno excidit.

## X.

Sublatis opinionibus falsis , restat *cautiones* ad Cautiones hibeamus aliquas , quae viam nobis monstrare observan posse ad recte dijudicandum , cui *ius summae* dae.  
*potestatis* in gente quaque competit.

70 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Prima  
cautio.

*Prima cautio haec sit: ne decipiatur ambiguo  
nominis sono, aut rerum externarum specie.*

*De Regni & Principatus tum vero discrimine, tum  
promiscua appellatione Auctor pluribus b. §.  
& in tratt. de Anng. Rep. Bat. cap. 1. Conf.  
Tacitus in Vita Agric. cap. 3. ibid. Buckner. p. 103.*

Ordinum  
comitia  
non eius-  
dem juris.

*Nam & comitia Ordinum, id est, conventus  
eorum, qui populum in classes distributum refe-  
runt, alibi quidem in hoc serviant duntaxat, ut  
sint maius Regis consilium, per quod querelae  
populi, quae saepe in consistorio reticentur, ad  
Regis aures perveniant; cui deinde liberum sic  
statuere, quod ex usu ipsi videatur: alibi etiam  
ius habent de actis Principis cognoscendi, at-  
que etiam leges praescribendi, quibus Princeps  
teneatur.*

*Prioris generis comitia in Portugallia, Hispania, &  
hodierna Gallia: posterioris autem in Germania,  
Polonia, Suecia, & Anglia. Vid. Pufendorffii  
lib. vii. cap. vi. § 12. & Zieglerus lib. i. de In-  
re Maiest. cap. 36. num. 6. seqq.*

Discrimen  
imperii  
summi, &  
summo  
minoris.

Sunt multi, qui existimant discrimen summi  
imperii, aut summo minoris, petendum ex dela-  
tione imperii per electionem aut successionem. Nam  
quae hor modo deferuntur imperia, ea summa  
esse contendunt, non item quae illo.

Non

Non immunis quoque ab hac sententia Hobbesius est  
in lib. de Cive, cap. vii. § 16. & in Leviath.  
cap. xix.

At haec universim vera non esse pro certo ha- Non ab  
beri debet. Nam *successio* non est titulus imperii, electione,  
qui imperio formam adsignet, sed veteris conti- aut suc-  
nuatio. Ius enim ab electione familiae coeptum cessione.  
succedendo continuatur: quare quantum prima  
electio tribuit, tantum defert successio.

De Regnis tum *Electivis*, tum *Successivis*, infra a-  
getur lib. ii. cap. vii. § 12. & seqq. Ceterum  
recte Grotius nullum discrimen inter ea ponen-  
dum statuit, quod ad imperii potestatem attinet,  
quam & ad tempusa conferri possit, uti *supra* iam  
dictum est p. 63. & exemplo Ordinum Frisiae illu-  
stravit Huberus lib. i. de Iur. Civ. scđt. viii.  
cap. ii. num. 3. seqq. Conf. inf. § ix. num. 2.

## X I.

*Altera cautio* haec esto: aliud esse de *re* quae- Cautio  
rere, aliud de *modo* habendi. Quod non in cor- altera.  
poralibus tantum, sed & in incorporalibus pro-  
cedit.

*Incorporalia* sensu Iuris Civilis hic accipiuntur, velu-  
ti omnia, quae in iure consistunt, & intelligun-  
tur tantum, ex effectibus nempe, quos produ-  
cunt, uti hereditas, servitus, obligatio, &c.  
Vid.

72 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Vid. tit. 11. lib. 11. *Instit.* add. Cicero in *Top.* cap. 5. Quintilianus lib. v. cap. 10. & Seneca lib. vi. de *Benef.* cap. 5.

Vt enim res est ager, ita & iter, actus; via: sed haec alii habent iure pleno proprietatis, alii iure usufructuaria, alii iure temporario;

Haec omnia ad doctrinam pertinent Iuris Civilis, quo agitur de dominio pleno, vel minus pleno, directo vel utili, vero, vel quasi dominio: aliud item dominium dicitur, aliud servitus, aliud emphyteusis, vel superficies. Vid. sup. cap. i. § 5.

Imperium  
Dictatoris  
Romani.

Ita summum imperium *Dictator* Romanus habebat iure temporario: Reges denique, tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine succedunt, iure usufructuario: at quidam Reges pleno iure proprietatis, ut qui iusto bello imperium quaesiverunt, aut in quorum dictationem populus aliquis, maioris mali vitandi causa, ita se dedidit, ut nihil exciperetur.

De distinctione illa vulgariter inter regna patrimonialia & usufructuaria plenius § seq. agit Auctor.

Dissentientibus  
respon-  
detur.

Neque enim illis adsentio, qui *Dictatori* negant fuisse summum imperium, quia perpetuum non erat. Nam rerum *moralium* natura ex operationibus cognoscitur: quare quae facultates eosdem effectus habent, eodem nomine nuncupandae

pandae sunt. At Dictator intra tempus suum omnes actus eodem iure exercet, quo *Rex*, qui est optimo iure; neque eius actus ab alio reddi irritus potest. *Duratio autem naturam rei non immutat: quanquam, si de dignitate quaeritur, quae maiestas dici solet, dubium non est, quin ea maior sit in eo, cui ius perpetuum datum est, quam cui temporarium; quia ad dignitatem facit habendi modus.*

Vid. dicta & citata paullo superius p. 63. Conf. Io. Bodinus lib. I. de Republ. cap. VIII. sub init. contra quem hic disputare Auctor videtur. Bodinum quoque sequutus est Pufendorffius lib. VII. cap. VI. § 15. cui addes. Cl. Barbeiracum in not. Gall. ad h. l. & Kulpisium in Coll. Grot. p. 24.

Atque idem dictum volo de his, qui antequam Reges ad suam tutelam pervenerint; aut dum furore, aut captivitate impediuntur, *Curatores regni* ita constituuntur, ut populo non subsint, neque ante legitimum tempus potestas eorum sit revocabilis.

Contrarium idem tenet, quem citavi, Bodinus d. l. Et sane omnis potestas regni Curatorum, qui vero nomine ita appellantur, vulgo dicti *Regentes*, non solum *temporaria*, verum & *vicaria* tantum est, pariter ac supremorum Magistratum vice sacra iudicantium, uti apud Romanos *Praefectorum praetorio*: quos nemo summum imperium proprie dictum, de quo tamen

men solo hic agim̄s, habuisse dixerit. Vid. L. ~~an.~~  
*D. de Offic. Praef. prae.* Alia quidem est sententia  
 Hertii in *diss. de Tui. Reg. scđt.* 11. §. 10. p. 476,  
 quem & sequitur Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad*  
*b. l.* Exempla tamen ab iis adlata non satis huic qua-  
 stioni convenire, nec ea mens Grotii suffisse videtur, in  
*not. b. l. ad init. hui. §.* ibi enim non de Curatore, aut  
 Rege vicario, sed de Rege proprio dicto, ad tem-  
 pus factō, agitur. Vid. citatus ibi *Gregoras d. lib.*  
*iv. sub init.* Addes. Zieglerum in *not. ad b. l.*

Aliud censendum de his, qui *ius* acceperant, quovis tempore *revocabile*, id est, precarium: horum enim singuli actus *irriti* possunt reddi ab his, qui potestatem revocabiliter dederunt; ac proinde non idem est effectus, nec ius idem.

.... Laudat Auctor exempli loco regnum *Vandalorum* in *Africa*, & *Visigothorum* in *Hispania*: pluraque ad-  
 dit alia in *not. Conf. sup. § ix. sub init.*

### X I I.

Quaedam regna in patrimo-  
 nio sunt. Quod autem dixi, quaedam imperia esse in pleno iure proprietatis, id est in patrimonio imperantis, quidam viri eruditici hoc argumento oppugnant, quod liberi homines in commercio non sint.

Ita Franc. Hotomanus in *Quæst. Illustr. cap. 1. per*  
*vocem*

vocem *regni* non solum regendi ius, sed quoque populum, qui regnatur, intelligens.

**A**t sicut alia est *potes̄tas* dominica, alia Re-gia; ita & alia est *liber̄tas* personalis, alia civi-lis; alia singulorum, alia universorum. Sicut er-go libertas personalis *dominium* excludit, ita li-bertas civilis *regnum*, atque aliam quamvis pro-prie dictam ditionem.

Per civilem libertatem Auctor democraticum regimen intelligit, a monarchico & aristocratico diversum.

Vid. *sup.* p. 55. Alioquin enim & in monarchia, quantumvis absoluta, salva est, una cum reali maiestate, publica civitatis libertas; quia nempe ci-vitas liberorum hominum coetus, non servorum est. Sup. p. 56. Vid. Illustris Schellii *Libertas Publica*. & Henr. Cocceius in *Anton. Iur. Gent. cap. x.*

Proprietatem tamen, cum *populus* alienatur, non ipsi homines alienantur, sed *ius perpetuum* eos regendi, qua *populus* sunt.

Vid. dicta superius pag. 56. & 60. Simile discrimen inter *ius sepulchri*, & *ius sepeliendi* intercedit Iure Romano. Vid. § 9. *Instit. de Rer. Div.* & l. 14. *C. de Legat.*

Neque illud magis firmum est, quod aiunt, si quos populos Rex *bello* quaesierit, cum eos non sine civium sanguine ac sudore quaesierit, *civibus* quaesitos potius credi debere, quam *Regi*.

## 76 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Ita idem Hotomanus in *Quæst. Illustr. cap. t. p. 13. edit. in 8.* Cuius argumentis unum addo, quod pone-  
ris mihi non minimi videtur; Regi ius belli & vi-  
ctoriae non suo privato, sed publico tantum civitatis  
nomine competere: adeoque populum bello qua-  
sistum non ad patrimonium privatum Regis, sed ad  
populi victoris ditionem pertinere. Vid. *inf. lib. III.*  
*cap. 8. & 15.*

Nam & fieri potuit, ut Rex ex sua *private substancialia exercitum aluerit*, aut etiam ex fru-  
ctibus eius patrimonii, quod principatum se-  
quitur.

Huc pertinet illa Iurisconsultorum distinctio inter *do- minium eminens*, de quo supra *cap. 1. p. 5.* inter  
*aerarium populij*, usibus publicis destinatum: *fiscum*  
*principis* ad sustinendam dignitatem: & *patrimonium*  
*privatum*; hinc rem *dominicam*, quanto privato iure  
princeps possidet, uti sua civium singuli. Vid. Ho-  
tomanus *d. l. p. 4. & 5.* & Auctor *Vindict. p. 307.*  
*seqq.*

Nam ut in ipsum illud patrimonium Rex a-  
liquis non nisi *usumfructum* habeat, perinde ut  
in ipsum ius imperandi populo, qui se elegit,  
fructus tamen ipsius sunt proprii.

Quod exemplo *hereditatis fiduciariae* ex *fideicommisso*  
post certum tempus restituenda Auctor *h. l. illu-  
strat.* Vid. *l. 18. § 2. D. ad Sct. Treb. iunc. l. 44.*  
*etra fin. & d. l. 18. pr. D. cod.* ubi vera huius rei  
ratio,

ratio, quia scilicet mora non est commissa, redditur, observante Zieglero *ad h. l.*

Evenire ergo potest, ut Rex in quosdam populos imperium habeat *proprio iure*, ita ut alienare etiam possit.

Distinctio vulgaris inter regna patrimonialia & *usufructuaria* apud Grotium *h. l.* eo tantum sensu accipienda est, quo Pufendorffus exposuit *lb. vii. cap. vi. § 16. & seq.* Nimurum quod ad *ius regendi* attinet: est enim vel *simpli*giter regnum delatum, vel cum adiecta *conditione*. Si *prius*, non nisi *personale* ius Regi datum esse existimandum est, ex natura cuiusque regiminis, quod certae personae spectatam industriam exposcit. Si *posteriori*, inspicienda est conditionis adiectae qualitas: utrum *plene* & cum alienandi iure, regnum sit translatum, an *minus plene*, sine isto iure. *Priore* casu regnum *patrimoniale* appellatur, quia scilicet ius regendi ita Regi competit, ut in-*star* privati patrimonii vel ad heredes suos transmittere, vel abdicare, vel alienare illud possit; uno verbo, de regni successore, suo solius arbitrio, & populo inconsulto statuere. *Posteriori* autem casu non aequi, ob deficientem hanc populi in transferendo voluntatem. Atque *posteriora* haec regna *usufructuaria*, sive *personalia* vulgo dicimus, quia cum morte Regis ius regni extinguitur, & vel ad populum redit, si regnum sit *electivum*, vel secundum fundamentales *successionis* leges ad proximum transfertur, si *successivum* sit; ac prout vel *agnatica* est *successio*, vel *cognatica*, qua de re

infra lib. II. cap. VI. § 12. & seqq. ex professo agitur. Nihil proinde causae fuit Hottomano d. l. & Auctori *Vindic. contra tyr. quæst.* II. p. 387. & seqq. iten Coccoeo in *Autor. Iur. Gen. cap. XII.* quare distinctionem isthanc tantopere reūcerent. Nihil sine propterea iuri populi, vel reali eius maiestati decedit: quid interest enim, ab initio hereditariato successionem populus definire, an Regi suo de ea statuendi facultatem concedat? *Prins* vero quam licet populo, & posterius ei licere necesse est. Et sane *impropriis* tantum illa vocabula, *patrimonii* & *usufructus*, hic adhibentur, sensu nempe *vulgaris*, non *Turis Civilis*. Vid. inf. cap. IV. §. 20. & lib. II. cap. VI. §. 3. & lib. III. cap. XX. §. 5. Conf. Iacobi Regis *Допор варшавск* lib. II. p. 160. Opp. Frustra itaque Osiander, Zieglerus, & alii, ad b. l. istis vocabulis tantopere offenduntur. At, *inquiries*, eo pacto ad tyrannum facile, *magisve idoneum principem*, ius regni deveniet? Verum, nomine idem & in successivo regno usu venire potest? in quo sane venit plus sapientia. Deinde, non aliter Regi, de quo agimus, id licet contendimus, quam regio ipsius muneri convenienter, ad publicam-nempe regni utilitatem: alioquin enim populus designatione eiusmodi stare neutiquam teneretur, si publica inde salus in discrimen esset ventura, quemadmodum pluribus *sopra diximus*, p. 60. & seqq. Ceterum tamen, quoniam nulla hodie, si *Turcum* & *Russicum* forte excipias, regna vere patrimonialia, licet bello sint quesita, per Europam habentur; nullum etiam dubium est, quin supremo Imperanti ius alienandi, aut pro lubitu

lubitu de successore statuendi, hodie non competit.  
Vbiique enim publicis legibus, quas fundamentales vocant, de successione statutum est. Querelas vero Ordinum *Alsiae*, in publicis conventibus Neomagensi & Rysvicensi motas, ad Ius Publicum remittimus. Videnda interim de nostra hac quaestione Dissertatio Bartholomaei de las Casas, Episcopi Chiapensis, ante sesquicentum edita, & annis abhinc circiter quinquaginta Ienae rescula. Quae autem Grotius post Hotomanum de xx. urbibus a Salomone datis Hiromo b. l. disputat, de iis videri possunt quae accuratius observavit Io. Seldenus de I. N. & G. lib. vi. cap. 16. Conf. Bochartus Geogr. Sac. part. 2. lib. ii. cap. 4. & Boeclerus ad b. l.

## X I I. I.

At in regnis, quae populi voluntate delata sunt, Quaedam concedo non esse praefumendum eam fuisse populi voluntatem, ut alienatio imperii sui Regi non sunt, permitteretur.

Immo nec in regnis bello quaesitis, uti ad fin. §. praece. diximus. Conf. sup. p. 64.

## X I V.

Quod autem hic usque monuimus, distinguendam esse imperii summitatem ab habendi plenitudine, adeo verum est, ut non modo pleraque Imperium aliud sumnum, ait plenum. impe.

## 80 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

imperia summa non plene habeantur; sed & multa non summa habeantur plene.

Ad posterioris generis imperia Auctor *marchionatus* refert, & *comitatus*. Verum ne in Imperio quidem Romano-Germanicō haec territoria pleno iure a Principibus habentur, non magis, ac feuda quaevis alia. Etenim *superioritas territorialis* Ordinum Germaniae ex art. viii. §. 1. & 2. *Pac. Mon.* non inferior tantum est & subordinata Imperatoris & Imperii maiestati, verum etiam duplice vinculo eidem subiecta, uno *civili*, quod generale est omnium, *aliero feudali*, quod particulare tantum est quorundam. Pluribus *inf.* §. xxiii.

## X V.

Tutela  
regni di-  
versa.

*Est & alterum huius discriminis indicium in regni tutela*, dum Rex aetate aut morbo fungi potestate sua impeditur. Nam in *regnis*, quae non sunt *patrimonialia*, tutela eorum est, quibus lex publica, aut ea deficiente consensus populi eam mandat. In *regnis patrimonialibus* eorum, quos pater aut propinquai elegerint.

Ius constituendi tutoris, quum sit longe minus iure alienandi regni, sane cui hoc *posterior* est datum, & illud obtinebit *prius*. Totum itaque hoc a populi pendet voluntate, ut paullo superius ad fin. § xii. diximus. Conferri omnino merentur duac

duae peculiares de hac materia dissertationes: una Henr. Cocceii, *de Tuteis Illustrium: altera*, Io. Nic. Hertii *de Tutele regni*. In primis vero hanc illustrant doctrinam, quae Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad b. l.* adscriptis.

Sive vero Rex simul sit *privato iure* fundorum dominus, seu non sit, hoc imperio extrinsecum est, nec ad eius naturam pertinet. Quare nec imperii *speciem* aliam, neque alium habendi imperii *modum* hoc quidem constituit.

Secus atque voluit Pufendorffius *lib. viii. cap. v. §. 1.*  
Vid. *sup. ad §. viiiii. p. 59.* Conf. Henr. Cocceius in *Auton. Iur. Gent. cap. xii. § 6.* seqq.

### X V I.

*Tertia observatio* sit, non desinere summum <sup>Promissis</sup> *esse imperium*, etiamsi is, qui imperaturus est, <sup>Regum</sup> *promittit* aliqua subditis aut Deo, <sup>non mi-</sup> *etiam talia*, <sup>sumnum</sup> *quae ad imperii rationem pertineant.* <sup>imperium.</sup>

Atque ita in omnibus *hodie per Europam regnis*. Vocantur hae promissiones in Germania *Capitulationes*, in Polonia *Paæta convenia*, alibi simpliciter *leges vel privilegia*. Conf. Pufendorffius in *Op. Mai. lib. vii. cap. vi. § 10. & seqq.*

Nec iam de observatione *Iuris Naturalis & Divini*, adde *Gentium*, loquor, ad quam *Reges* omnes tenentur, etiamsi nihil promiserint;

L fed

82 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

sed de *regulis* quibusdam, ad quas sine promisso non tenerentur.

Verbi caussa: se *tributa* non imperaturos, nisi consensu populi: *alienigenas* ad munera publica non evecturos: de *bello*, *pace*, *foederibus*, in Comitiis cum populo vel *Ordinibus* deliberaturos, &c.

Fatendum tamen, id ubi fit, *arctius* quodammodo redi imperium, sive obligatio duntaxat cadat in *exercitum actus*, sive etiam directe in ipsam *facultatem*.

*Plenum* ita quidem esse definit, *summum* vero manet in iis, quae adhuc integra Rex obtinet, *sup. § 14. hui. cap.* Exemplo esse potest Imperator Romano-Germanicus intuitu praecipuorum iurium, quae *Reservata* adpellantur. Vid. *Struvius* in *Syntagm. Iur. Pub. cap. xi.*

*Priori* specie *actus* contra promissum factus erit *iniustus*; quia, ut alibi ostendemus, vera promissio ius dat ei, cui promittitur; *altera autem* specie erit etiam *nullus* defectu facultatis.

*Injustum* Auctor ab eo quod ipso iure *nullum* dicitur cum Interpretibus Iur. Civ. distinguit: ita ut vitium in modo exercendi, vel in accidentibus commissum, actum reddat *injustum*: vitium vero circa ipsam agendi *facultatem* contingens actum ipso

ipso iure *nullum* efficiat. Prior ille actus ab initio subsistit, posterior non item. Ita aliud Iure Civili *nullum*, iutile, vitiosum est; aliud stricto iure & in genere validum, sed in casu propenso *iniquum*: prius ut rescindatur opus non est, sed solum *posteriorius*. Ceterum quod ad *Ius Naturae* attinet, nullum inter ea discrimen agnoscimus, quia nulla eo Iure inter *Ius strictum* & *Aequitatem* est distinctio. De *Promissis* infra agitur lib. II. cap. XI.

Neque inde tamen sequitur, ita promittente *superiorem* dari aliquem; nullus enim is actus non redditur hoc casu ex *vi superiore*, sed ipso iure.

Ex *mutuo* scilicet *pacto* Imperantem inter & populum initio.

Quid, si addatur, si Rex fidem fallat, ut tum *regno cadat*? ne sic quidem imperium desinet esse *summum*, sed erit *habendi modus* imminutus per conditionem, & imperium temporario non absimile.

Inter pacta emtioni venditioni adiici solita sunt haec duo: *Lex commissoria*, & *addictio in diem*. Vid. singulares de iis tituli in *Pandectis*.

Talis autem *lex commissoria* non tantum in regni delatione adiici potest, sed & in aliis contracti-

## 84 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

tractibus. Nam & *foedera* quaedam cum viciniis videmus cum tali sanctione inita.

Conf. *inf. lib. 11. cap. xv. §. 15.* & frustra Henniges ad b. l. legem commissoriam in privatis tantum contractibus, non in publicis locum habere scribit: quasi vero *Iure Naturae*, quod ad effectum, quidquam intersit, utrum Rex cum populo, an privatus cum privato paciscatur. Multa quoque hic miscet Boeclerus, minus ad rem facientia, p. 245. seqq.

## X V I I.

Divisio  
Imperii.

*Quarto* notandum, quanquam summum imperium *unum* quiddam sit, ac per se *individuum*, constans ex illis partibus, quas supra enumera vimus, addita *summitate*, id est, τῷ ἀναπευθύνῳ, fieri tamen interdum, ut dividatur; sive per partes, quas vocant *potentiales*, sive per partes *subiectivas*.

Partes Imperii *potentiales*, sive *integrales* Auctor vocat, quae simul sumtae integrum summi ac pleni imperii essentiam constituunt, *maiestatem* scilicet *personalem*, verbi causa, Ius legum condendarum, creandorum magistratum, belli, pacis, foederum, tributorum, &c. Vid. *sup. § vi. p. 53.* Partes vero Imperii *subiectivae* sunt territoria maiestati subiecta, veluti Italia cum provinciis in Imperio

perio Romano. *Prioris* divisionis exempla in omnibus rebus publicis mixtis, sive irregularibus occurunt: *posterioris* non pauca in Imperio fuerunt Romano, in primis a temporibus Theodosii M. sub Arcadio & Honorio, eorumque successoribus, ad extinctum usque Imperium occidentis in Momyllo Augustulo. Manserat una respublica, iisdem semper legibus, non diversis, gubernata, nisi aliud diserte cautum esset, util. 158.

*C. Th. de Decurion.* eadem utrobique Collegarum auctoritas: unis ambo auspiciis bella administrare, pacem ac foedera inire, & leges dare soliti. Vid. Theodosii 11. Nov. I. de Cod. Theod. aut. tit. 1. & 11. Valentiniani 111. Nov. tit. xiii. Quae puto solvendis Boecleri, & aliorum ad h. l. nec non Pufendorffii lib. vii. cap. v. § 15. dubiis satisfaciunt. Quae vero alii addunt de trium viratu, item Divis Fratribus, aliasque *indivisi* Imperium gerentibus, ad hanc quaestionem nequam pertinet: tum quia vel nulla partium subiectivarum vera divisionem facta, tum quia *Dioctiano & Maximiano* anteriores Principes tantum supremi fuerint Magistratus, imperio Senatus Populique subiecti, non veri Reges. De quo *principatus regnique* discrimine supra iam actum est § x. p. 70.

Neque tamen id fit, ut iam ostendimus, quotiescumque Rex *promissis* quibusdam obligatur; sed tunc id fieri intelligendum est, si aut expresse instituatur *partitio*, qua de re supra iam diximus; aut si quid populus adhuc liber futuro Regi imperet per modum manentis *praecepti*; aut si quid sit additum, quo intelligatur, Regem

86 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

cagi aut puniri posse. Nam *praeceptum* est superioris, saltem in eo, quod *praecipitur*. Et cogere non est quidem semper superioris: nam & naturaliter quisque ius habet cogendi debitorem, sed cum inferioris natura pugnat. Itaque ex coactione saltem *paritas* sequitur, ac proinde summitatis divisio.

Multa contra hanc doctrinam moveat Pufendorffius lib. vii. cap. iv. § 14. Ceterum pro Grotio id unum respondisse forte sufficerit, toties *summatis*, sive personalis maiestatis, divisionem fieri, quoties imperium inter plures dispergitur, vel per partes *potestiales*, uti vocant, vel *subiectivas*.

Multi adversus talem statum quasi *bicipitem*, incommoda multa adferunt; sed, ut supra quoque diximus, in civilibus nihil est, quod omni ex parte *incommodis* careat; & ius non ex eo, quod optimum huic aut illi videtur, sed ex *voluntate* eius, unde ius oritur, metiendum est.

Vid. sup. § viii. p. 57.

X V I I I.

Auctori- Multum tamen falluntur, qui existimant,  
tas Sena- cum Reges *acta* quaedam sua nolunt *rata* esse,  
tus in actis Regum nisi a Senatu aut alio coetu aliquo probentur,  
refinden- partitionem fieri potestatis. Nam quae *acta* eum  
dis. in

in modum *rescinduntur*, intelligi debent rescindi *Regis ipsius imperio*, qui eo modo sibi cavere voluit, ne quid fallaciter *imperatum* pro *vera ipsius voluntate* haberetur.

Ita sane est in *regnis absoluvis*, quale illud vetus Per-sarum, de quo Auctor supra § xvi. num. 3. Conf. § x. hui. cap. p. 70. & hodiernum Daniae. Alia vero omnia de regnis Germaniae, Angliae, Sueciae, dici debent, & de *Gallia* quoque, si originem & ius quaeramus, non statum praesentem, observante ad h. l. Cl. Barbeiracio.

Quare haec res similis est *testamentis*, quibus adiectum est, ne posterius testamentum valeat; nam haec quoque *clausula* efficit, ut posterius testamentum non ex *vera voluntate* proscriptum praesumatur.

Neque *derogatoriam*, neque *cassatoriam* clausulam hoc effectu, quod ad *Ius Civile* attinet, gaude-re, inter eruditiores Interpretes satis iam constat. Vid. l. 6. § 2. D. de *Iure Codic.* iunc. l. 4. D. de *Adim. legat.* *Iure autem Naturae* an aliud sit dicendum, quod Cl. Barbeiracius contendit, mihi fateor non liquere: quum enim testatore vivo nihil iuris ex testamento cuiquam adquiratur, iure sane suo testator priorem voluntatem mutare potest: quod idem in pactis etiam & contractibus nondum perfectis, sive re *integra*, obtinere nemini dubium est. Qua de re infra lib. II. cap. xi. & xii.

Sed

Sed sicut haec clausula, ita & illa, Regis iussu expresso, ac speciali *posterioris voluntatis* significatione, tolli potest.

In *testamento* quidem posteriore expressa prioris, sub dicta clausula conditi, revocatio non requiritur, sed sola eius confectio rite adimpta sufficit, ut diximus. Vid. Cuiacius lib. xiv. *Observ.* cap. 7.

## X I X.

Quaestio prima de foedere inaequali. His positis *quaestiones* quasdam, quae frequentem in hoc argumento usum habent, examine-  
mus.

*Prima est, an summum imperium habere pos-  
sit is, qui inaequali foedere tenetur?*

Vid. Alb. Gentilis lib. iii. *de Iur. Belli*, cap. 16.  
& Vlr. Huberus lib. 1. *de Iur. Civit.* sect. iii.  
cap. iii. § 38. *seqq.*

*Inaequale foedus* hic intelligo, non quod inter viribus dispare initur; nec quod *actum* habet *transeuntem*, ut cum hostis qui sit ad amicitiam recipitur, dum impensas belli solvat, aut aliud quid praestet: sed quod ex ipsa vi pactionis *ma-  
neniem praelationem* quandam alteri donat; hoc est, ubi quis tenetur alterius imperium ac maiestatem conservare, id est, tum operam dare, ut eius

*ei*us regnum *in tuto* sit, tum ut dignitas, quae *maiestatis* nomine significatur, ei constet.

Foedus Iure Gentium *aequale* dicitur, in quo non solum *maiestas* singulis sociorum salva est, verum ubi in communi concilio eadem quoque omnium est *auctoritas*; quale olim *systema Achaicum*, hodie *Belgicum*, & *Helveticum*. *Inaequale* autem foedus est, quo sola fere *autovox* singulis relinquitur, in publicis vero deliberationibus potior *unius* ex *sociis* est conditio; qualis olim *societas Romanorum* cum *Latinis*, aliisque; hodie *Drenthinorum* cum *Belgica Foederata*, similesque per *Europam* aliae. Ceterum de tota hac materia infra suo loco professa opera agit *Auctor lib. II. cap. xv. § 6. & 7.* Quod vero alii *huc referunt* foedus *Hanseaticum*, toto coelo ab hisce *Iuris Gentium* foederibus diversum est, utpote ex civitatibus conflatum non liberis, sed alieno imperio obnoxii: quo etiam foedus *Rhenanum*, & *Suevicum* referenda. Vid. Ill. Petr. a Ludewig in *Diff. de Civitat. disp. nexus, cap. ix.*

Ad quod genus referenda sunt iura quaedam eorum, quae nunc vocantur *protectionis*, *advocatiae*, *mundiburdii*, item ius urbium matricum in *colonias*.

Intelliguntur hoc loco *protectiones* & *advocatiae pactitiae*, non autem *maiestaticae*, vel *territoriales*; utpote quae una cum defensionis iure imperium quoque *civile* continent. Vid. Magerus *de Advoc. arm.*

*cap. x. num. 385. seqq. De vocabulis adovationis & mundiburdii praeter Gronovium & Zieglerum ad h. l. consulendus du Fresne in Gioss. med. & inf. lat. De iure metropolium Valesius ad Exc. Conf. Porph. p. 7. Conf. inf. lib. 11. cap. ix. § 10.*

Scimus quid ad hanc quaestione Proculus responderit, scilicet *liberum esse populum*, qui nullius alterius potestati subiectus sit, etiam si in foedere comprehensum sit, ut is *populus* commiter alterius populi maiestatem conservaret.

Proculus in *l. 7. § 1. D. de Captiv.* iunc. Cicerone in *Orat. pro Balbo*, *cap. 16.*

Si ergo *populus* tali foedere obligatus *liber* manet, si alterius potestati subiectus non est, sequitur ut *summum imperium* retineat.

Dissentientem Ant. Matthaeum *de Crim. ad L. Iul. Mai. cap. 1. § 6.* refellit Zieglerus *ad h. l.*

Atque idem de *Rege* pronunciandum est: est enim populi liberi & Regis, qui vere Rex sit, eadem ratio.

Vid. Henr. Cocceius in *Auton. Iur. Gent. cap. x. § 11.*

*Superiorem autem in huiusmodi foedere intellegere debemus, non potestate, sed auctoritate & dignitate.*

Quo

Quo sensu capiendum puto hoc Livii lib. 1. cap. 52. de foedere Romanorum cum Latinis: *in eo foedere superior res Romana erat.* Grotius de iure metropoleos interpretatur, init. num. 2. hui. §. Sed alia utique mens Livii.

Quemadmodum enim *clientes* in fide sunt *patronorum*; sic populi foedere inferiores in fide populi, qui dignitate est superior.

Vid. Cicero lib. 11. Offic. cap. 8. iunc. lib. 1. cap. 11.

Sicut igitur *patrocinium privatum* non tollit libertatem personalem, ita *patrocinium publicum* non tollit libertatem civilem, quae sine summo imperio intelligi nequit.

Vid. Livius lib. viii. cap. 1. lib. xxii. cap. 5 & lib. xxxvi. cap. 28.

*Obstare* his quae diximus videtur, quod addit Proculus: *At fiunt apud nos rei ex civitatibus foederatis, & in eos damnatos animadvertisimus.*

Nihil quidquam hunc Proculi locum memoratae doctrinae obstare, post Spanhemium in *Orbe Rom.* Exerc. 11. cap. 10. recte ad h. l. ostendit Cl. Barbeiracius.

Sed ut haec res intelligatur, sciendum est, quatuor incidere posse controversiarum genera.

M 2

Pri-

92 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

*Primum*, si *subditi* populi aut Regis, qui in fide est alterius, dicantur fecisse contra foedus: *deinde*, si ipsi populi aut Reges accusentur: *tertio*, si *socii* qui in eiusdem populi aut Regis fide sunt, *inter se* litigent: *quarto*, si *subditi* conquerantur de iniuriis eorum, quorum sunt in ditione.

Quae species *tertio* loco ponitur, ei adPLICANDA esse verba Proculi Auctor existimat: secus ac Zieglerus, aliquie ad b. l.

*Prima specie*, si peccatum adpareat, tenetur Rex aut populus eum qui nocuit aut *punire*, aut ei cui nocitum est *dedere*: quod non tantum inter *inaequales*, sed & inter *aequaliter* foederatos locum habet: immo etiam inter eos, qui *nullo* foedere tenentur, ut ostendemus alibi. Tenetur etiam dare operam, ut *damna* resarciantur, quod officium Romae erat *Recuperatorum*. At sociorum alter in *socii* subditum ius prehensionis aut punitionis *directe* non habet.

Vid. *inf. lib. II. cap. XXI. § 4.* ubi de civis ditione agitur. De *Reciperatione* Festus *b. v.* De officio *Recuperatorum*, eorumque consilio provinciali, Vlpianus *tit. I. § 13.* & Theophilus in *paraphr. Institut.* § 4. *Qui & ex quib. caus. Conf.* Ciceron *lib. II. in Verr. cap. II. & 13.* & Livius *lib. XLIIII. cap. I.*

*Secur-*

*Secunda specie* ius habet socius *cogendi* socium, ut sit foederis legibus, atque etiam *puniendi*, nisi susterit. Sed hoc quoque *inaequali* foederi proprium non est: idem enim locum habet in foedere *aequali*. Nam ut quis ultionem sumat ab eo qui peccavit, satis est, ut ipse ei qui peccavit subditus non sit, quod alibi a nobis tractabitur. Quare etiam inter Reges aut populos *non foederatos* idem usu venit.

Vid. *inf. lib. II. cap. xx. § 3. 8. & 40.*

*Tertia specie*, sicut in foedere *aequali* solent controversiae deferri ad *conventum* sociorum, quos scilicet res non tangit; aut alioqui ad *arbitros*, aut etiam *principem foederis*, tanquam communem arbitrum: ita in foedere *inaequali* plerumque conveniri solet, ut controversiae discep-tentur apud eum, qui *superior* est in foedere. Quare ne hoc quidem ostendit *imperii* potestatem. Nam & *Reges* apud iudices a se constitutos iudicio contendere solent.

Vid. Plinius in *Paneg. cap. 36.*

*In postrema specie* ius cognoscendi nullum est sociis. Et hoc est, in quo Aristoteles ait *societatem a civitate differre*, quod sociis curae sit, ne iniuria in ipsos committatur; non vero, ne sociae civitatis cives inter se iniurias commit-tant.

Aristoteles *lib. III. Polit. cap. 9.* Exemplum habet  
Valerius Maximus *lib. IV. cap. I. ex. 6.*

Solet & illud obiici, quod in historiis ei, qui foedere superior est, imperandi, & ei, qui inferior est, parendi vox interdum tribuitur.

Loca Veterum ipse *b. I.* Grotius plurima attulit.  
Conferri quoque meretur de imperandi verbo Seneca *lib. III. de Benef. cap. 24.* Varro *lib. I. de Re Rust. cap. 16.* & Alphenus in *I. 26. D. de Oper. libert.* quam leg. erudita observatione illustravit  
Ampl. Bynkershoekius *lib. III. cap. 7. fin. iunc.*  
Cl. Ottone, *praef. tom. I. Thes. Iur. p. 36. edit. sec.*

Sed nec hoc movere nos debet: aut enim agitur de rebus ad *commune bonum* societatis pertinentibus, aut de utilitate *privata eius*, qui superior est in foedere.

In rebus *communibus extra tempus conventus*, etiam ubi foedus aequale est, solet is qui lectus est princeps foederis, sociis *imperare*, quod Graeci modestius *τάσσειν* dicunt. Sed *imperium* hoc sensu, id est, *ιγενονία*, libertatem aliorum non tollit.

Vid. dicta superius *ad init. hui. §.* Exemplis dictisque Veterum late haec illustrat Grotius *§ XXI. num. 8. hui. cap.*

In

In iis vero rebus, quae ad propriam utilitatem spectant, superioris postulata solent *imperia* dici, non ex iure, sed ex effectus similitudine, sicut *Regum* preces imperia saepe esse dicuntur, & aegroti imperare medicis.

Livius lib. XLII. cap. I. Ald. l. 26. D. de Oper. libert. de qua paullo ante diximus.

Interim verum est, accidere plerumque, ut qui *superior* est in foedere, si is potentia multum antecellat, paullatim imperium proprie dictum usurpet; praesertim si foedus *perpetuum* sit, & cum iure *praefidia* inducendi in oppida.

Exempla adserit Grotius d. §. XXI. num. 10. ibiq. in not. Conf. Tesmarus b.l. & Cl. Barbeiracius in not. Gall. Addi alia possent, etiam de *urbibus Imperialibus*, sua sensim libertate hoc pacto exutis, nisi de actis deorum praestaret silere, quam disputare.

Haec cum fiunt, & ita fiunt, ut *potentia* in ius tranteat, qua de re alibi erit disputandi locus; tunc aut, qui socii fuerant, fiunt subditi; aut certe *partitio* fit summi imperii, qualem accidere posse supra diximus.

Vid. inf. lib. II. cap. IV. § 14. & sup. § 17. hui. cap.

## X X.

*Qui vero certum quid pensant, aut ad redimendas iniurias, aut ad tutelam comparandam: quo minus sumnum imperium habere possint, nullam dubitandi caussam video, quanquam infirmitatis confessio de dignitate aliquid delibet.*

Praeter ea, quae Gronovius & Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad b. l. adscripterunt*, videri possunt alia apud Io. Nic. Hertium in *Elem. Prud. Civ. part. I. sect. XII. § II. & part. II. sect. XX. § 9.*

## X X I.

Difficilior multis videtur quaestio de *nexus feudali*, sed quae ex antedictis facile solvi potest. Nam in hoc contractu, qui proprius est Germanicarum gentium, neque usquam invenitur, nisi ubi *Germani* sedes posuerunt, duo sunt consideranda, obligatio personalis, & ius ad rem.

Eandem feudorum *originem* Thomasius *pec. diff.* Spenerius item, Struvius, & alii vulgo nunc statuunt. Forte autem prima eorum *initia* a Romanis petenda sunt, eorumque fundis militaribus. Vid. Lampridius in *Alex. Sev. cap. 58.* & Vopiscus in *Probo*, *cap. 16.* Incrementa autem, & novam velut formam a Francis accepérunt, aliisque deinde Germanorum gentibus, nova passim regna saeculo post Christum quinto in provinciis

vinciis Romani Imperii condentibus. Vid. Pet. de Marca in *Marca Hisp.* lib. 111. cap. 8. Primis temporibus *Munera* & *Beneficia* dicebantur: a saeculo autem x. & xi. feudorum adpellatio exorta est; a *fee*, id est, *stipendio*, & *ode*, possessione. Aliorum derivationes passim in *Glossaris* habentur. Conf. Schilterus in *Gloss. Tent.* b. v. In primis vero leitu sunt digna, quae habet Gundlingius in *Ana.*, part. I. obs. 1. & part. xv. obs. 2. item Ludewigius in *Diss. de Iure Client.* Germ.

*Obligatio personalis* eadem est, sive quis ipsum ius imperandi, sive aliud quidvis etiam alibi situm, feudi iure possideat.

Ipsum ius superioritatis territorialis Principes maiores ab Imperatore in feudum accipiunt; territoria autem partes sunt Imperii subiectivae, iure suffragii in comitiis gaudentes. Vid. Solemnia, iuramenta, & diplomata feudalia, apud Strykium, & Struvium, ad fin. *Inr. Feud.*

Talis autem obligatio, sicut privato non erat demtura ius *libertatis personalis*, ita nec Regi aut populo ius demit summi imperii, quae *libertas est civilis*.

Ita est, si feuda in se spectentur, & separata a subiectione civili; quae vero partem simul civitatis constituunt, qualia sunt *Imperii* feuda omnia, iure summae potestatis omnino carent.

N

Quod

98 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Quod apertissime conspici datur in feudis liberiis, quae *franca* vocant, quae nullo iure in rem, in sola personali obligatione consistunt: haec enim nihil sunt aliud, quam species foederis inaequalis, de quo egimus, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri praesidium & tutelam.

Vid. *sup.* § xxi. p. 88. & seq. Feuda autem franca sunt, quae ab omnibus servitiis immunita, 2. F. 104. distincta a feudis iuriis Francici, id est, masculinis. Vid. Hornius in *Diss. de Fendo franco*. In reliquis naturam feudorum servant, adeoque a foedere inaequali sunt diversissima, recte ad h. l. observante Cl. Barbeiracio in *not. Gall.*

Pone etiam adversus omnes promissam operam, quod nunc *feudum ligium* vocant, (nam olim ea vox latius patebat) nihil id de iure summi imperii in subditos detrahit: ut iam taceam, semper inesse conditionem tacitam, dum iustum sit bellum, de quo agendum erit alibi.

*Ins. lib. II. cap. xv. § 13. item cap. xxv. § 4.* Ceterum *fenda ligia*, quorum Auctor hic meminit, proprio accepta sensu ea appellantur, quae non solum a *Supremo Imperante* conceduntur, verum etiam, pro quibus Vasalli ad fidem & servitium contra omnes, nemine excepto, obligantur: *fenda vero non ligia* dicuntur, quae & ab alio, qui supremam maiestatem non habet, possunt

possunt constitui, & quorum intuitu fides & servitium non contra omnes, sed exceptis aliis, promittuntur. Ita verbi causa, omnia Imperii feuda immediata sunt *ligia*; mediata vero, & quaecunque alia Ordinum Imperii sunt *non ligia*, excepto semper Imperatore & Imperio. Vid. Hertius de *feud.* obl. part. II. § 6. Confundi aurem & impropietatem nonnunquam utrasque adpellationes usurpari Bodinus observat lib. I. de *Republ.* cap. 9. Conf. etiam notata Cl. Barbeiracii ad h. §. ubi de *feudis minus* proprie ita dictis eruditè disserit.

*Ius vero in rem* quod attinet, id quidem tale est, ut ipsum imperandi ius, si *feudi iure* tenetur, aut *familia extincta*, aut etiam ob certa crimina *amitti* possit. Sed interim *summum* esse non definit: aliud enim est *res*, ut saepe diximus, aliud *rem habendi modus*.

Inter plurimos feudi amittendi modos maxime hoc pertinet crimen *feloniae*. Est autem *felonia* nihil aliud quam perfidia & rebellio, cuius reus *felo* hodiecum a Gallis & Italibus adpellatur, forte ab antiqua Teutonum voce *fael* & verbo *faelen*, quod in genere est *errare*, item *peccare*: unde & *αὐτόχειρ*, *felo de se*, in medii aevi monumentis dicitur. Iure Langobardico senior aequo ac valido feloniae accusari, feudique iure privari posunt, 2. F. 26. § domino 23. & 2. F. 47. § un. secus ac moribus hodiernis. Vid. Thomasius in *Diss. de felonie domini*.

## X X I I.

Distinctio  
inter ius  
& usum  
ius.

Distinguendum quoque non minus in *imperio*, quam in *dominio*, ius ab usu iuris, sive actus *primus* ab actu *secundo*.

Nam sicut *Rex infans* ius habet, sed imperium exercere non potest; sic & *furious*, & *captivus*, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi situm liberae ei non permittantur; omnibus enim his casibus *curatores*, sive *prodici*, dandi sunt.

De *infante* Principe & *furiōso* res plana est. Ad *captivum* vero quod attinet, distinguendum puto, utrum iussus eiusi, sive *actio*, ex libera voluntate processerit, an vi aut metu fuerit extortus; prior enim omnino validus est, posterior non item. Pluribus hoc rationibus & exemplis omni ex historia petitatis data opera ostendit Illustris Baro Danckelman-nus in *Diff. de Mandatis Princeps. capt.* § 50. & seqq. Conf. Auctor *inf. lib. XII. cap. xx. § 3.*

C A-

## CAPVIT. IV.

De Bello Subditorum in  
Superiores.

## I.

**B**Ellum gerere possunt & *privati* in *privatos*, <sup>Inter quos</sup> *bellum* <sup>geri pos-</sup> *ut viator* in *latronem*; & *summum imperium* <sup>lit?</sup> *habentes* in *eos*, qui *itidem* id *habent*, *ut David* in *Regem Ammonitarum*; & *privati* in *eos*, qui *imperio summo*, at non in *se*, utuntur, *ut Abrahamus* in *Regem Babyloniae*; & *vicinos*; & qui *sumnum imperium* *habent*, in *privatos*; aut sibi *subditos*, *ut David* in *partem Isbosethi*; aut *non subditos*, *ut Romani* in *piratas*.

*Bellum esse vel Publicum, vel Privatum, vel Mixtum,* supra vidimus ad init. cap. III. hui. lib. Ex quaenor autem speciebus, quas Auctor h. l. memorat, *prima* belli est *privati*; *altera* *publici*; *tertia* denique & *quarta*, belli mixti. Nisi forte bellum *Abrahami* cum aliis Regibus *publicum* dicere quis malit, ob supremum eo tempore segregum patrum familias in suos imperium: forte etiam *Davidis* bellum cum *Isbosetho*, si divina ab unctione discesseris, magis *civile*, quam *mixonum*, adpellandum est. De bello *Abrahami* vid.

N<sup>o</sup> 3

inf.

*inf. lib. III. cap. XVI. § 3.* De eodem, uti & *Isofetho*, satis recte ut videtur, disputant Osiander, & Tefmarus *ad h. l.* Alia omnia habet Cl. Barbeiracius in *not. Gall.* sequutus Io. Clericu*m* in *Comm. ad lib. II. Sam. cap. IV.* ¶ 11. At videsis Adr. Houttuynium de *Monarchia Hebraeor.* *cap. VI. § 3.*

Status  
quaestio-  
nis.

Tantum illud quaeritur, an aut *privatis*, aut *publicis* personis bellum gerere liceat in eos, quo-  
rum imperio sive *summo* sive *minori* subsunt?

Ac primum id minime controversum est, ar-  
ma sumi posse in *inferiores* ab iis, qui summae  
potestatis auctoritate armantur. Verum adversus  
*summam* potestatem, aut *inferiores*, sed agentes  
quod agunt *summam* potestatis auctoritate, quid  
liceat quaeritur?

Peculiariter hanc materiam dissertatione pertractavit  
Ill. Lynckerus, *de Resistentia quae sit potestati.*  
Conf. Vlr. Huberus de *Lure Civit.* *lib. I. sect.*  
*IX. cap. 3.*

Illud quidem apud omnes bonos extra contro-  
versiam est, si quid imperent *Naturali Iuri*, aut  
*divinis praceptis contrarium*, non esse facien-  
dum quod iubent.

Vid. *inf. lib. II. cap. XXVI. § 3.*

At si qua ex tali caussa, aut alioqui quia sum-  
mum imperium habenti ita libet, iniuria nobis infe-

inferatur, ea toleranda est potius, quam vi resistendum.

Cl. Barbeiracius ad h. l. & in *not. Gall.* de iniuris quidem dubiis & tolerabilibus illud concedit, non vero de manifestis & intolerandis. Forte autem totum hoc resistendi ius eo tantum casu subditis competere est dicendum, quando publica civitatis salus in manifestum discrimen incidat, ita ut ni resistatur principi aut rectoribus, actum de libertate videatur. Quod vero, quam difficilium probatu sit, nemo opinor non videt. Conf. quae supra diximus ad p. 60. seqq.

## I I.

Et naturaliter quidem omnes ad arcendam a Bellum in se iniuriam ius habent resistendi, ut supra diximus. Sed *civili societate* ad tuendam tranquillitatem instituta, statim civitati ius quoddam maius in nos & nostra nascitur, quatenus ad finem illum id necessarium est. Potest igitur civitas ius illud resistendi promiscuum, publicae pacis & ordinis caussa, prohibere: & quin voluerit dubitandum non est, cum aliter non possit finem suum consequi. Nam si maneat promiscuum illud resistendi ius, non iam civitas erit, sed disficiata multitudo.

Vid. *sup. cap. II. § 1. p. 13. seq.* Conf. loca veterum apud Grotium, aliasque ad h. l.

Ita,

Ita, ut dixi, habent *mores* omnium civitatum: hinc ubique *maiestas*, id est dignitas, sive *potestus*, sive unius qui summo fungitur imperio, tot *legibus*, tot *poenis* defenditur: quae constare non potest, si maneat resistendi licentia.

In primis huc referenda insignitor criminis *maiestatis poena*, apud Romanos lege Iulia coerciti, qua de re Iacob. Gothofredus, & Cl. Gundlinius *pecun. differt.* ex proscello egerunt. Conf. *inf. lib. II. cap. xx.*

## III.

Poena  
contumacis ex lege  
Hebraea. In *Lege Hebraea* mortis suppicio damnatur, qui inobediens fuerit, aut summo *Pontifici*, aut ei qui extra ordinem *rector populi* a Deo esset constitutus.

Vid. *Deuter. cap. xvii. ¶ 12. & Iosua cap. I.  
¶ 18.*

Ius Regium Sa-  
muelis. Quod vero apud Samuelem est de *Iure Regis*, omnino recte insipienti adparet, nec de *iure vero* intelligendum, id est, de facultate honeste & iuste aliquid agendi, (longe enim alia vivendi ratio praescribitur Regi in ea parte legis, quae est de *Officio Regis*) neque *nudum factum* indicari, nihil enim esset in eo eximium, cum iniurias facere etiam privati privatis soleant; sed *factum*,

factum, quod *effectum* aliquem *iuris* habeat, id est, non resistendi obligationem. Ideo additur, populum pressum istis iniuriis Dei opem implo-raturum, quia scilicet humana remedia nulla extarent. Sic ergo hoc *ius* vocatur, quomodo *Praetor* ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit. *L. pen. D. de Inst. & Iur.*

Vid. 1. *Sam. cap. viii. § 11. seqq. iunc. Deuter. cap. xvii. § 14. seqq.* Verum isto loco ac proprium Regis *ius* a Samuele significari, post veteres Hebraeorum magistros, aliosque Inter-pretes, quam plurimi ostendere sunt conati, inter quos Io. Wandalinus *pec. diff. de Iure Regio: Mart. Schoockius de Quadrupl. Leg. Reg. sect. II.* Adrian. Houttuynius *de Monarchia Hebr. cap. v.* Osiander *ad b. l. & Zieglerus*, item Christ. Thomasius *in not. ad Hub. de Iure Civit. lib. I. sect. II. cap. VII. § 13.* Hi verba *Moy-sis Deut. d. l. de officio exponunt Regis*, felici ac quieto regni statu; verba autem *Samuelis de iure ac eminenti Regis dominio*, tempore extremae necessitatis. Contra alii verba Samuelis de *more tantum & consuetudine Regum orientis*, non de *iure* omnium Regum accipiunt, uti praeter Schikhardum in *Iure Reg. Hebr. Auctor Vindic. cont. Tyr. quaest. IIII. & Io. Clericus in Comm. ad d. l. Sam.* quem sequitur Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad b. l.* Media autem via incedit Grotius, cuius hanc ipsam sententiam egregie il-lustravit atque tuitus est Vir longe Maximus, Vlr. Huberus, in praeclaro opere *de Iure Civit. lib. I. sect.*

O

sect.

*scit. II. cap. VII. §. 13. seqq.* Vbi etiam Boxhornii argumentis, aliorumque ratiis occurritur. Vid. Boxhornius *de Maies.* p. 80. seqq. Sordidum denique praevaricantis Salmasii calamum Miltonus, Schelius, aliquique dudum refellerunt. Conf. Sidneius, *Discours sur le Gouvern. civil,* tom. I. cap. II. scit. IX. p. 278. & tom. II. cap. III. scit. VI. p. 360.

## I V.

Doctrina  
Christi &  
Apostolo-  
rum.

In Novo Foedere *Christus* praecipiens dare Caesari, quae Caesaris sunt, intelligi voluit a suae disciplinae sectatoribus non minorem, si non maiorem, obedientiam cum patientia, si opus sit, coniunctam summis potestatibus deberi, quam ab Hebraeis Regibus Hebraeis debebatur.

Evang. *Matthaei* cap. XXII. ¶. 21. quod exponit Seldenus lib. vi. de *Iur. Nat. & Gent.* cap. 17. De maiori Christianorum obedientia vid. sup. cap. II. §. VI. p. 17. & Olzander ad h. l.

Subiectio  
civilis.

Quod latius exequens optimus eius interpres *Paulus* Apostolus, officia subditorum late describens, inter alia, *Qui obficit, inquit, potestati, Dei ordinationi obficit, &c.*

Ep. ad Rom. cap. XIII. ¶. 2. seqq.

In

In *subiectione* includit *non resistendi* necessita- Non resis-  
tem, neque eam solum, quae ex *formidine* ma- tendi ne-  
rioris mali oritur, sed quae ex ipso sensu *officii* cessitas.  
nostrri manat, neque *hominibus* tantum, sed &  
*Deo* nos obligat.

Aliorum hac in re dubiis, cautelis, exceptionibus,  
ipse infra Auctor satisfacit §. vii. bii. cap.

*Rationes* addit duas: *primam*, quod Deus or- Ejus ratio  
dinem illum imperandi & parendi adprobaverit, prima.  
& olim in *Lege Hebraea*, & nunc in *Evangelio*:  
quare potestates publicae eo loco a nobis haben-  
dae sunt, quasi *ab ipso Deo* essent constitutae.  
*Nostra enim facimus*, quibus auctoritatem no-  
stram impertimur.

Quae de immediata potestate *ad h. l.* habet Ziegler-  
rus, supra refellimus, p. 50. 56. & 60.

*Alteram*, quod hic ordo (*imperandi & pa-* Ratio al-  
*rendi*) bono nostro inserviat. tera.

Ziegleri censura, & Osiandri, *ad h. l.* nullius pla-  
ne momenti est, quippe in *verbis* magis, quam  
*sensu* occupata.

Atqui, dicat aliquis, *injurias pati utile non* Obiectio.  
est. Hic quidam, vere magis, quam ad sensum  
Apostoli, ut arbitror, adpositae, dicunt; has

O 2 quo-

## 108 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

quoque *iniurias utiles* nobis esse, quia ista patientia sua non sit caritura mercede.

Videantur laudati supra p. 28.

Respon-  
fio.

Mihi videtur Apostolus considerasse *finem universalem* isti ordini propositum, qui est *tranquillitas publica*, in qua & *singulorum* comprehenditur. Et sane quin plerumque hoc bonum per potestates publicas consequamur, dubitandum non est; nemo enim sibi male vult: at imperantis felicitas in subditorum felicitate consistit.

Conf. quae diximus sup. p. 53. & 60.

Quod si quando nimia formidine aut iracundia aliisve affectibus transversi agantur rectores, quo minus rectam ineant viam, quae ad tranquillitatem dicit, id inter *minus frequentia* habendum est; & quae, ut ait Tacitus, *interventu meliorum pensantur.*

Tacitus lib. iv. *Histor.* cap. 74. Conf. l. 6. D. de Legib. iunc. Aristotele lib. iii. *Polit.* cap. ii.  
Loca plura adscriptis ipse Grotius.

Locus  
Petri.

Paulo comitem addamus Petrum, cuius haec sunt verba: *Regem honorate. servi subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & aequis, sed etiam duris.*

Petrus 1. Epist. cap. ii. §. 17. seq.

Notan-

Notanda hic *duo*: 1. quod dicitur subiectio-  
nem *dominis* deberi, etiam *duris*; idem ad *Reges*  
quoque referendum. Nam quod sequitur ei  
fundamento *superstructum*, non minus *subdito-*  
*rum*, quam *servorum* officium respicit.

Vid. inf. de servorum officio lib. II. cap. v. § 27.

*sqq.* Differentias harum relationum notavit Ill.  
Schelius de *Lure Imp.* p. 316. *segg.* & Barbeira-  
cius post eum in *not. Gall. ad h. l.*

Ac deinde 2. talem a nobis requiri subiectio-  
nem, quae *iniuriarum patientiam* secum ferat.

Idem de parentibus Publ. Syrus in *Mim.* v. 23.

*Conf.* Aelianus lib. IX. *Var. Hist.* cap. 33. &  
alii a Grotio *ad h. l.* citati.

## V.

Nec ab hac lege Domini discedit consuetudo *veterum Christianorum*, optima legis. *interpretes do vett.*  
*Christian.* Nam quanquam pessimi saepe homines *Imperium Romanum* tenuerunt, nec defuerunt, qui obtentu  
adiuvandae reipublicae iis se opponerent, nun-  
quam tamen eorum conatibus se adiunixerunt  
*Christiani.*

Vid. Tertullianus in *Apol.* cap. 35. & *ad Scap.* cap.  
2. Alia ex *Canonibus Conciliorum*, Patrumque  
testimonii, *Auctor adscriptis*, tum *h. l.* tum

in *Comm. de Iure Summ. Pos. circa sacra, cap. IIII.*  
 §. 14. Ceterum & in contrarium extare Veterum  
 Christianorum exempla iam Dav. Blondelius ad  
 eit. *Comm.* adnotavit, interque alios sancti Ambro-  
 sii exemplo sane non sancto ostendit Baelius  
*Critiq. Gener. de l. Histoire du Calvinisme de Maimb.*  
*lett. xxx. § 2. & 3. Conf. Cl. Barbeiracius not.*  
*Gall. ad b. l.*

## V I.

Sententia  
recentio-  
rum.

Inventi sunt *nostro saeculo* viri, eritidi quidem  
 illi, sed temporibus & locis nimium servientes,  
 qui sibi primum (ita enim credo) deinde attis  
 persuaderent, ea quae iam dicta sunt locum ha-  
 bere in *privatis*, non etiam in *Magistratibus* infe-  
 rioribus, quibus ius esse putant relistendi iniuriis  
 eius, cuius summum est imperium; immo &  
 peccare eos, ni id faciant.

Intelligit Auctor principes Reformationis viros, tum  
*Theologos*, tum *Jurisconsultos*, Pet. Marty-  
 rem, Dav. Pareum, Lamb. Danaeum, Aucto-  
 rem *Vindic. contra tyr. Mornaeum*, Hotoma-  
 num; aliasque vulgo dictos Monachomachos,  
 vel Populares, *Republicains*; quorum doctrinam  
 integro opere confutandam sibi summis Guil. Bar-  
 claius, infra ab Auctore laudatus, § VI. n. 4.

Eius re-  
futatio.

Quae opinio admittenda non est: nam sicut  
 in *dialecticis species intermedia*, si genus respi-  
 cias,

cias, est species; si speciem infra positam, genus: ita Magistratus illi, *inferiorum* quidem ratione habita, sunt publicae personae; at *superiores* si considerentur, privati sunt. Nam omnis facultas gubernandi, quae est in Magistratibus, summae potestati ita subiicitur, ut quidquid contra voluntatem *summi imperantis* faciunt, id defectum sit ea facultate, ac proinde pro actu privato habendum. Locum enim hic quoque habet, quod dicunt *Philosophi*, ordinem non dari, nisi cum relatione ad aliquid primum.

Vid. Averroës *V. comment. metaph. 6.* Quanquam vero ista omnia satis recte sese habeant, Magistratus qualescumque intuitu Supremi Imperantis esse tantum privatos, adeoque nihil plus obtinere iuris ad resistendum summae potestati, quam cives ac subditi habent singuli: tamen quia ius omne Supremi Imperantis, secundum ea quae aliquoties diximus, suam a populo originem atque auctoritatem habet, consequens esse existimo, Magistratus, etiam si a Rege constitutos, esse nichilominus ministros populi, & executores publicarum legum; adeoque hoc respectu magis eos vim munieris populo & legibus, quam Regi, esse obnoxios; ac proinde ius ipsis competere, tyranno legum eversori non tantum resistendi; verum sui etiam officii ratione eos teneri, ad populum vel Ordines, imminens patriae periculum referre, eorumque iussa exquirere, quo scilicet pacto fungi suis porro muneribus debeant, ne quid rebus turbatis respublica detimenti capiat. Atque hanc

hanc Reformatorum Doctorum sententiam & rationi, & Scripturae satis consentaneam, meo qualicunque suffragio confirmare non dubito. Alio autem usus argumento Cl. Barbeiracius ab Auctoris sententia discessit in *not. Gall. ad h. l.*

Ac mihi videntur, qui *contra* sentiunt, talem statum rerum inducere, qualem *antiqui* fabulabantur in coelo fuisse, antequam *maiestas* oriretur: quo tempore aiunt minores Deos Iovi non concessisse.

Vid. Ovidius lib. v. *Faſt.* sub init.

Magistratuum subordinatio. At is, quem dixi, *ordo* & *υπαληλισμὸς*, non tantum *sensu communī* cognoscitur; sed & *divina* probatur *auctoritate*.

De priori Seneca in *Thyeste* ¶l. 612. & Statius lib. III. *Sylv.* III. ¶l. 49.

Nam Apostolorum princeps subiectos nos esse vult, *aliter Regi, aliter Magistratibus*: *Regi*, ut superemiāti, id est, sine ulla exceptione, praeter ea quae Deus directe imperat, qui iniuriae patientiam probat, non interdicit: *Magistratibus*, tanquam missis a Rege, id est, potestatem suam a Rege ducentibus.

Vid. Petrus 1. *Epiſt. cap. II. ¶l. 13.* Conf. nota Gronovii *ad h. l.* & ipſe Auctor, haec aliter exponens, in *Comm. ad Epiſt. Pet. d. l.*

Et

Et cum Paulus omnem animam *supremis* potestatibus esse subiectam vult, etiam Magistratus *inferiores* inclusit.

Epist. ad Rom. cap. xiiii. ¶. i.

Neque in *populo Hebraeo*, ubi tot fuere Reges divini humanique iuris contemptores, unquam <sup>Exempla Regum</sup> *Hebraeo-* inferiores Magistratus, in quibus plurimi fuere <sup>ru n.</sup> viri pii & fortes, id sibi iuris sumserunt, ut *Regibus* vim ullam opponerent; nisi si qui a *Deo*, cuius in Reges summum ius est, mandatum speciale acceperant.

Ita fere post Auctorem quoque nostrum Salmasius in *Defens. Reg. cap. iv.* quem data opera refutavit Miltonus in *Defens. pro Pop. Angl. cap. iv.* Exempla hoc pertinent Roboami, Lorami, Athalise, Achabi, Achasiae, Amaziae, & aliorum. Vid. inf. § xix. num. 4. Conf. Frischmuthius de *Rege elig. & depon.*

Quin contra, quod *Procerum* officium sit, ostendit *Samuel*, cum proceribus & populo inspectante, *Saulem* iam perverse regnante solita veneratione est prosequutus.

Vid. 1. *Sam. cap. xv.* ¶. 30. Non erat enim Saul tyrannus, neque proinde dum viveret regio honore ac iure exuendus.

Atque adeo *religionis* quoque *publicae* status  
P nun-

## 114 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

nunquam non a Reginis ac Synedrii arbitrio pendit.

Vulgarem hunc errorem de *Synedrio LXX.* virorum divinitus per *Moyser* instituto, & ad *Herodis* usque tempora continuato, Auctor supra iam prodidit, cap. III. § xx. num. 3. sed post alios erudite consultatum ab Io. Clerico in *Diss. pec. ad calc. Comm. in libb. hist. Vet. Testam. Conf.* Io. Nicolai ad *Cunaeum de Rep. Hebr.* lib. I. cap. 12.

Quod enim post Regem, magistratus simul cum populo, *Deo* se fideles fore promiserunt, id intelligi debet, quatenus in cuiusque id futurum erat potestate.

Nunquam vero non in potestate hominis est vere pii, certe quod ad voluntatem attinet, Deo magis quam homini, nedum tyranno, dicto audiensem esse. Vid. *sup. § I. hui. cap. num. 3.* Et nihil apud Stoicos decantatius est hoc officio viri boni. Vid. Horatius *lib. III. od. III. in. & Juvenalis sat. VIII. § 8. § 9.*

Ne simulacra quidem falsorum Deorum, quae publice extabant, deiecta unquam legimus, nisi iussu aut populi in libera republica, aut Regum cum regnabantur.

Vid. Origenes *lib. VIII. contra Cels. p. 409.* Cum publicorum *sacrorum* inter iura esse maiestatis civilis, Auctor supra docuit cap. III. § VI. num.

num. 2. ibid. Ofiand. p. 462. Eandemque materiam ex professo idem alio libro pertractavit. Conf. Lud. Molinæi paraenesis *adversus Aedif. imp. in imp. cap. 2. 5. 19.* & Pufendorfius de *Habitu Relig. Chr. ad vit. civ.* quaeque Thomasius tum *pec. diff.* tum *not.* ad Huber. de *Iur. Civ. lib. 1. sect. v. cap. 1.* ex Seldeno, Erasto, aliisque observavit.

Quod si quid aliquando factum est *vi contra Reges*, narratur in testimonium divinae providentiae id permittentis, non in facti humani adprobationem.

Quid autem? Si nolit Deus tyrannum a cive interfici, anne unquam id iuberi a Deo poterit? sane si imperium hoc, si poena dignum, non magis a Deo iuberi videtur posse, quam turpe quodvis factum aliud. Quia autem plus semel id a Deo iuslum legimus, nonne licitum, & iustum, & pium, a nobis censendum est? Certe in moralibus quocunque Deus fieri iussit, non ideo bonum est, quia iussit; sed ideo iussit, quia bonum. Vid. sup. lib. I. cap. I. § 10.

Solet a contrariae sententiae auctoribus proferri dictum *Traiani*, cum pugionem Praefecto praetorio traderet; *hoc pro me utere, si recte impero; si male, contra me.* Exempla contraria.

Vid. Xiphilinus in *Ei. vita* p. 248. Zonaras *lib. II.*  
*Ann. in Trai.* & Cassiodorus *lib. VIII. form. 13.*

Sed sciendum est, *Traianum*, ut ex Plinii panegyrico adparet, id unice curasse, ne quid regium ostentaret, sed verum principem gereret, qui proinde subesset Senatus populi iudicio.

Vid. pluribus hac de re d. l. Plinius, in primis cap. 67. & seqq. Ceterum omnes ante Diocletianum Imperatores, si ins spectemus non facta, tantum supremos fuisse magistratus, maiestati Senatus populi obnoxios, secus ac hodie plerisque sedet, supra iam monuimus p. 85. Conf. *Doctrina Instit. in Prooem.* § XIV.

Simile est, quod de *M. Antonino* legimus, qui publicam pecuniam attingere noluit, nisi consulto Senatu.

Vid. Xiphilinus in *Vita M. Anton.* p. 281. Conf. Capitolinus in *ei. vita*, cap. 10. seqq. Idem de Probo refert Vopiscus cap. 11. & 12.

## V I I.

De casu extremae necessitatis. Gravior illa est quaestio, an lex *de non restendo nos obliget in gravissimo & certissimo discrimine?*

Praeter Interpretes ad b. l. quosque supra citavimus ad § 1. p. 102. seq. videndus est Boeclerus in *Diff. Polit.* XVI. p. 402. seqq.

Nam

Nam leges etiam Dei quaedam, quanquam generaliter prolatae, tacitam habent exceptionem summae necessitatis.

Intelliguntur leges omnes positivae Vet. Test. a moralibus, sive naturalibus, omnino distinctae.

Vid. sup. cap. I. § 10. & 15.

Non quod Deo ius non sit, ad certam mortem subeundam nos obstringere; sed quod leges quaedam eius sint argumenti, ut non credibile sit datas ex tam rigida voluntate.

Verbi causa Ius Mosaicum Caerimoniale de Sabbatho, cibis, vestibus, decimis, levitis, &c. nec non Forensē de nuptiis, usuris, poenis, servitute, &c. De priori Spencerus: de posteriori Zepperus & alii ex professo egerunt. Vid. inf. lib. II. cap. II. § VI. num. 4.

Quod in legibus humanis magis etiam procedit. Non nego, a lege etiam humana quosdam virtutis actus posse praecipi, sub certo mortis periculo: ut de statione non deserenda.

Desertae crimen stationis, habitā nempe circumstan-  
tiarum ratione, capital esse, omnibus fere genti-  
bus placuit. Vid. Suetonius in Auguſto, cap.  
24. Plinius lib. XIV. Hist. Nat. cap. I. & Alex.  
ab Alexandro lib. VI. Gen. Dier. cap. 18. Neque  
adversatur Modestinus l. 3. § 5. D. de Re Mi-  
lit. Conf. etiam Sichtermannus de Poen. Milit.

## 118 POSITIONES IURIS NATVRAE.

cap. 4. & Ge. Acac. Enenkelius lib. 1. de Privid. Milit.  
cap. 1. § 20. sqq. Add. inf. lib. III. cap. XVII. § 3.

Sed nec temere ea voluntas legem condentis  
fuisse intelligitur; neque videntur homines in se  
& alios tantum ius accepisse, nisi quatenus sum-  
ma necessitas id exigat. Ferri enim leges ab ho-  
minibus solent & debent cum sensu humanae im-  
becillitatis.

Vid. inf. lib. II. cap. II. § 6. cap. XIV. § 12. cap.  
XX. § 19. & lib. III. cap. XXII. § 5. Verum  
haec omnia ex gradibus officiorum subordinatis re-  
petenda esse, in superioribus aliquoties diximus.

Haec autem lex, de qua agimus, pendere vi-  
detur a voluntate eorum, qui se primum in so-  
cietatem civilem confocant, a quibus porro ius  
ad Imperantes manat.

Origo &  
finis legis  
de non re-  
futendo.

Vulgaris de origine maiestatis controversia, *mediaria*,  
en *immediata*, tantis animorum motibus agitata,  
si inspicatur paullo accuratius, in meras sophisti-  
cationes & vanam *λογοπαχίαν* plane est desiturs.  
Qui enim *mediaram* eius originem dicunt, ori-  
undam ex pacto primorum civium, & a populo  
deinde in supremos rectores translatam, solam in-  
telligunt maiestatem *personalem*, sive exercitium  
summae potestatis; qui vero *immediaram* esse  
aiunt, maiestatem *realēm* intelligunt, civitati  
qua tali essentialēm, haud aliter ac cuiilibet ho-  
mini ius libertatis & potestatis in se & sua. Atque  
hanc *posterioris* sensus maiestatem, haud secus ac  
natū-

naturalem illam libertatem & potestatem singulorum, quis quaeſo ſoli Deo immediate adſcribendam negaverit? Priori vero ſenu accepta, iphis adverſariis farentibus, nonniſi mediane populo Regi a Deo coaceditur; pariter ac *marito* imperium in uxorem, & ius potestatis *domino* in ſervum, mediante ſcilicet uxore, & ſervo. Vtrumque vero hoc ius, *mariti*, & *domini*, nec non *patris*, aequum ſummuſt est ac *arvneDurov* extra civitatem, ac in civitate maiestas civilis. *Immediatae patroni maiestatis*, praeter plerosque Grotii commentatores ad lib. I. cap. III. § 6. a Kulpisio in Coll. Grot. aliisque ad d. l. recententur. Praecipue orum ſunt Graswinkelius, Salmasius, Hornius, Vitriarius. *Mediatam* vero originem tuentur, tum ii, quos vulgo monarchachos vocant, tum alii, ut Pufendorfius, Boeclerus, Huberius, Thomasius. Conf. Viri Cl. Otto & Treuer ad *Pufend. de Off. hom. & civ.* lib. II. cap. VI. § ult. & B. Lampius in *Theol. Aet. lib. III. cap. III. § II.* Posteriori tamen huic ſententiae turpem haereticos notam Pet. de Marca inutere aufuſeſt, *lib. II. de Concord. Sacerd. & Imp. cap. 2.* Mafius vero, Theologus Hafniensis, criminis etiam maiestatis diſſentientes poſtulare non eſt veritus. Vid. Thomasius in *not. ad Iurisp. Div. lib. III. cap. VI* § 66. cuius ea de re ſcriptum Hafniae manu carnificis, Calchante ita diſterente, publice combustum eſt. Quam vero iſi ſpreverit insanum impotentis haereticis furorem, hiſce verbis d. l. teſtatur: *Non praevidere poteram, dum iſta ſcriberem, eventurum eſſe, ut aliquot annis poſt Hector Gottofredus Mafius ignem carnificis Hafniensis, ad defendendam iſtam ſententiam abſurdam ſit adhibitus.* Nolleſum faſtum,

*Etum, non mei gratia, nepte cui vis ista vana, nec in bonis corporis, nec fortunae, nocuit; sed Optimus Regis iniunctu, cuius nomine & auctoritate Masius hac parte fuit abusus; immo ipsius Masii & Ministri Regii Masium adiuvantis gratia, ut qui hac carnificis flamma indelebilem malitiae aut stultitiae maculam famae propriae apud posteritatem, & meliorem huius saeculi partem, inassurant; quasi scilicet veritas a carnifice possit extingui. Det Deus, ut Masius hanc stuleitiam agnoscat, & ad sanam mentem redeat! Quamvis id quidem sit optandum magis quam sperandum.*

**Hi vero, si interrogarentur, an velint omnibus hoc onus imponere, ut mori praeoptent, quam ullo casu vim superiorum armis arcere, necio an velle se sint responsuri; nisi forte cum hoc additamento, si resisti nequeat, nisi cum maxima reipublicae perturbatione, aut exitio plurimorum innocentium.**

Vid. inf. lib. 11. cap. xvi. § 26. & dicta superius p. 60. seq. p. 103. & 111. neque opus est Boecleri distinctione ad h. l. inter populum, eiusque partem vel singulos.

**Quod enim tali circumstantia caritas commendaret, id in legem quoque humanam deduci posse non dubito.**

De caritatis officio, ut perfectiore, videatur sup. p. 13. 17. 28. & inf. num. 8. hui. §.

**Dicat**

## L I B E R I . C A P V T I V . . 121

Dicat aliquis , rigidam illam obligationem , Obiectio.  
*mortem* potius ferendi , quam ullam unquam  
superiorum iniuriam repellendi , non ex *lege humana* , sed *divina* proficiisci .

Paul. ad Rom. xiiii. in. & Petr. i. Ep. cap. ii. § 6.  
17. Sup. p. 106. seqq.

Sed notandum est , primo homines , non *Dei Respon-*  
*pracepto* , sed *sponte adductos* , experimento in-<sup>fio.</sup>  
firmitatis familiarum segregum , adversus violen-  
tiam in societatem civilem coiisse , unde ortum  
habet *potes̄as civilis* , quam ideo *humanam ordi-*  
*nationem* Petrus vocat ; quanquam alibi & *divina*  
*ordinatio* vocatur , quia hominum salubre insti-  
tutum Deus probavit : Deus autem humanam le-  
gem probans censetur probare ut humanam &  
humano modo .

Vid. i Petr. cap. ii. § 13. iunct. Paulo ad Rom.  
cap. xiiii. init. Conf. Auctor in Prol. § 16. &  
19. Quam perperam vero in dicto Petri loco τὰ  
ντοῖς ἀρθρωπλην exponat Beza , eumque secuti  
alii , etiam Osiander & Zieglerus ad h. l. erudi-  
tiores dudum monuerunt. Neque ullum inter  
Apostolos in hac re fuisse dissidium multi evice-  
runt. Vid. Huber de Iure Civ. lib. i. sect. II.  
cap. i. § 30. & sect. vii. cap. iv. § 11. & Thom-  
masius lib. iii. Iurisp. Div. cap. vi. § 75. seqq.  
Quae denique ad h. l. contra Auctoris doctrinam  
de *divina* civilium societatum *origine* ac *institu-*  
*tione* , Interpretum plerique disputant , facili nego-  
tio refelluntur. Etenim aliae sunt caussae *morales*

Q

in-

## POSITIONES IVRIS NATVRAE.

ineundae qualiscunque inter homines societatis, aliae *sejoriae* constituendarum civitatum: quas utrasque vulgo temere confundunt. Aliae porro sunt societates *simplices*, veluti, coniugalis, paterna, herilis: aliae *compositae*, uti familiaris, foederata, & civilis. Ex illis *simplicibus* sola originis divinae, & moralis necessitatis, societas est *coniugalis*, & per eam *paterna*, utriusque vero accessoria est *herilis*. Quae deinde *compositae* dicuntur, earum antiquissima est *familiaris*, ex duabus, vel tribus *simplicibus* conflata: quo regimina pertinent patriarcharum, aliorumque patrumfamilias segregum, cum ante, tum post diluvii tempora. Coeperunt quoque iisdem temporibus societates *foederatae* plurium inter se familiarum, absque ullo civili nexu. Denique ex foederatis pluribus familiis *perfectae* sensim *civitates*, & regna emerserunt. Caussae illarum in eundarum variae fuerunt diversaeque, & alibi aliae: verbi caussa, cognationis necessitudo inter familias fratribus, eorumque liberorum; immensus vis potentioris; utilitas mutua ex nuptiarum, commerciorum, & iudiciorum communione; emigrationis necessitas ex nimia iuventutis copia, &c. Vnde patere iam arbitror, utilissimas quidem esse in hoc *corruptio* hominum *statu* maiores illas & civiles societates; iisque instituendis, ac celebrandis unumquemque a natura *apum* atque idoneum esse, non tamen a Deo per naturam ad eas ineundas homines unquam suisse *obligatos*, haud magis atque ad distinguenda rerum dominia, vel ad certam regiminis formam sibi constituendam. Sunt igitur ex *pactis* haec omnia, haud secus ac quae-

quaevis hodie obligationes, tum publicae gentium, tum privatae singulorum. *Vnum* hoc a natura est, ut se quisque, & genus suum, quo meliore modo possit, conservet propagetque, ordini ac fini rerum convenienter.

Barclaius regii imperii assertor fortissimus <sup>Sententia</sup> tamen descendit, ut *populo*, & *insigni* eius <sup>Barclaii.</sup> *par-*  
*ti*, ius concedat se tuendi adversus immanem saevitiam; cum tamen ipse fateatur; totum populum Regi subditum esse.

Gul. Barclaius lib. IIII. adv. Monarchom. cap. 8. &  
lib. VI. cap. 23. seq.

Ego facile intelligo, quo pluris est id quod iudicium conservatur, eo maiorem esse aequitatem, quae adversus legis verba exceptionem porrigat: atamen indiscriminatim damnare, aut singulos, aut partem populi minorem, quae ultimo necessitatis praesidio sic utatur, ut interim communis boni respectum non deserat, vix ausim.

Illustrat hoc Auctor exemplo tum Davidis, 1 Sam.  
xxii. 2. & xxiii. 13. tum Maccabaeorum,  
lib. I. Maccab. cap. II. sqq. Ex recentiore hi-  
storia addi possent exempla Protestantum in Ger-  
mania & Gallia, Waldensium in Sabaudia, Belga-  
rum quoque, & Anglorum. Conf. Henniges ad  
b. I.

124 POSITIONES IVRIS NATVRAEL.

Cautio de persona Illa interim cautio tenenda est, etiam in tali periculo personae Regis parcendum.

Ita David pepercit Sauli, *1 Sam. xxvi. 9.* non solum ut subditus, & gener, verum etiam ut designatus regni successor. Vid. Io. Clericus in *Comm. ad lib. II. Sam. cap. I. ¶ 14.* cui adstipulatur Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad b. I. Grotii* vero mentem hac de re optime explicuit Gronovius *ad b. I.*

Scriptum est in lege: *Diis, id est, Iudicibus summis, non maledices, & Principi in populo tuo non maledices.*

*Exodi cap. xxxi. ¶ 28.*

At falsa maledicta ne in privatum quidem licet iacere; in Regem ergo veris quoque abstinentendum.

Vid. Aristoteles in *Problem. sect. XXIV. num. 14.*

Quod si voce laedendus non est, manu certe multo minus.

Quo exemplum pertinet Davidis, supra memoratum; ex *1. Sam. xxiv. ¶ 6.* Quae vero dubia istius loci occasione movit Baelius in *Dict. Hist. & Crit. voc. David, in not.* haud magis obesse possunt, quam similia alia: veluti *1. Sam. xvii. 55. sqq. & xviii. 2. & 9. iunc. xvi. 14. sqq.* Nam

Nam cum summum imperium non possit non multorum *odius* patere, *securitas* fungentis pecuniariter fuit munienda.

Vid. *sup. § 2. hui. cap. p. 104.* Eodem fine sacrosancta erat apud Romanos *potes* *Tribunitia*, quam ideo, ut praecipuum suae dominationis fulcrum, Romani gerebant Imperatores. Vid. Vlr. Obrechius, & Christ. Gottl. Schwartzius in *Diss. de August. & Caes. Tribun. Pot.*

Illa *quaestio gravior*, an quantum *Davidi*, an Officium quantum *Maccabaeis* licuit, liceat & *Christianis*, Christia-norūm. quorum Magister crucem subire toties iubens, exactiorem patientiam videtur requirere.

De erronea hac Auctoris hypothesi aliquoties diximus. Vid. *sup. p. 17. & 106.*

Certe, ubi Superiores ob religionem mortem intentant Christianis, Christus *fugam* concedit, his scilicet, quos officii necessitudo nullo loco alligat, ultra fugam nihil.

Evang. *Matthaei cap. x. vs. 23.* iunctis locis Petri, 1. Ep. 11. 21. & 14. 12. sqq. Conf. Grotius in *Comm. ad Matth. d. l.* ubi ad solos Apostolos Christi verba adplicat, non in genere ad omnes, observante Cl. Barbeiracio *adb. l.* Conf. Hammondus & Clericus *ad d. l.* Forte autem, si *populum* inter, eiusve proceres, & inter *pri-vatos* rite distinxerimus, satis sibi Auctor con-

stare

Q 3

stare dici posset, ac ipsem et omnino alienus esse  
ab opinione, quam ei in *not. ad b. l.* adsingit.  
& prolixo refellit Gronovius.

Quare *Christianis veteribus*, qui recentes ab Apostolorum, & Apostolicorum virorum disciplina, eorum praescripta & intelligebant melius, & perfectius implebant, summam *inuriam* fieri puto ab iis, qui quo minus ipsi se defenderent in certissimo mortis periculo, *vires* putant illis, non *animum* defuisse.

De meritis & vero usu Patrum Ecclesiae, eorumque moralis doctrinae pretio, praeter Dallaeum, erudite egit Cl. Barbeiracius, tum in *praef. Gall. Pufendorffii*, tum tractatu peculiari, contra ordinis Benedictini patrem Ceillierum. Conf. Ampl. Bynkershoekius in *Cur. Sec. p. 15. seqq.* Benignum de iis Grotii iudicium videsis in *Proleg. § 51.* ibique iudicium Barbeiracii in *not. Gall.* Ceterum ad *persecutionis* tempora quod attinet, ego & *animum* & *vires*, secus ac vult Auctor, omnino defuisse Christianis puto, quo minus vim vi opponerent. De priori enim Patrum testatur doctrina, multis ab Auctore locis repraesentata; de posteriori autem historia tum ecclesiastica, tum politica. Vid. Henr. Dodwellus *diss. xii. Cyprian.* & Cl. Barbeiracius in *not. Gall. ad b. l.* Quae denique Grotius de martyrio *Thebaeae*, ut vocatur, *Legionis* in *seqq. num. 10. 11. 12. 13. bni.* §. prolixo commemorat, ea fabulosa esse omnia supra iam monimus p. 34. fin. Conf. lau-

laudatus Dodwellus *diff. Cypr. xi. de paucitate  
marijrum.*

## VIII.

Nunc quaedam sunt, quae lectorem *monere*  
debemus, ne putet in hanc legem delinquere  
eos, qui revera non delinquent.

*Primum ergo, qui Principes sub populo sunt, Moni-*  
*sive ab initio talem acceperunt potestatem, sive<sup>tum i.</sup>*  
*postea ita convenit, si peccent in leges & rempu-*  
*blicam, non tantum vi repelli possunt, sed si*  
*opus sit puniri morte.*

Huiusmodi *Principes*, qualicunque etiam nomine  
insigniantur, *primi* tantum sunt *magistratus*, &  
reipublicae suae administrati, non veri Reges, sed  
cives & subditi: quales hodie sunt *Praefecti Bel-*  
*gici*, & olim *Reges* cum Romanorum, tum La-  
cedaemoniorum, aliarumque per utramque Grae-  
ciam gentium. Vid. loca a Grotio citata, cum  
animadversione Gronovii *ad b. l. add. sup. cap.*  
*III. § x. num. 2. De Romanis Regibus Peri-*  
*zonius in singularibus diff. de Laconico regno, &*  
*Attico, Meursius, de aliis alii dudum egerunt.*  
De *Imperatoribus* ante Diocletianum idem supra  
diximus, *p. 116.*

## IX.

## I X.

Moni-  
tu n 2. *Secundo, si Rex, aut alius quis imperium abdicavit, aut manifeste habet pro derelicto, in eum post id tempus omnia licent, quae in privatum.*

Ita sane est ipso & stricto iure, moribus tamen gentium & olim & hodie, ob pristinæ memoriam maiestatis, cum nomen Regis, tum honos fere idem, abdicanti conservatur, ut is adeo conditione privata maior, & apud suos, & alios censeatur. Exempla tum *abdicationis*, tum *derelictionis* opido multa in vetere & recenti historia prostant. Vid. Thuanus lib. xvi. subfin. item Gronovius, & Tesmarus in not. ad Grot. b. l. add. Vlr. Obrechtum in diff. de *Abdic. Car.* v. & Ahas. Fritschium de *Resignat. Imp. Rom. Germ.* De Iacobii 11. fuga, & quae exinde inferebatur praesumtio *abdicationis*, aut *derelictionis*, de Parliamenti etiam Britannici decreto, videbis *Commentt.* Burneti, & Steelii *Equitis Suppl. Crit.*

*Sed minime pro derelicto habere rem censendus est, qui eam tractat negligentius.*

Si tamen *nimia* sit Regis *focordia*, & publica inde salus periclitetur, quin abdicari possit, dubium non est; quanquam conducibilius videatur, collegam ipsi, quem vulgo *coadiutorem* dicimus, adiungere. Vid. Boeclerus ad b. l.

X.

## X.

*Tertio existiat Barclaius, si Rex regnum a-  
Moni-  
lienet, aut alii subiiciat, amitti ab eo regnum.* <sup>tum 3.</sup>

Barclaius lib. III. adv. Monarchom. cap. 16.

Ego hic subsisto. Nam talis *aetus*, si regnum electione, aut successoria lege deferatur, *nullus* est: quae autem nulla sunt, nullum habent iuris effectum.

Sup. cap. III. § XVI. p. 82. & seq.

Vnde & de *usufructuario*, cui Regem talem Simile ab similem diximus, verior mihi videtur Iurisconsultorum sententia, si extraneo ius suum cedat, nihil eum agere. Et quod dicitur, ad dominum proprietatis reverti usumfructum, intelligendum legitimo tempore.

De *fructuario* Regum iure supra egimus, cap. III.  
§ XI. p. 72. & p. 77. Theoriam Iuris Civilis de cessione ususfructus ex § 3. Inst. de Usufr. iunc. Theophilo in paraphr. & l. 66. D. de Iure dot. post Molinaeum, contra Vinnium, & Noodtium, ex instituto tradit Cl. Otto in Comm. ad d. § 3. Inst. Noodtii tamen sententiam amplectitur Cl. Barbeiracius ad b. l.

R

Si

## 130 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

Si tamen Rex re ipsa etiam tradere regnum, aut subiicere moliatur, quin *ei resisti* in hoc pos- sit, non dubito. Aliud est enim, ut diximus, *imperium*; aliud *habendi modus*, qui ne mutetur, obstare potest populus: id enim sub *imperio* comprehensum non est.

Vid. *sup. cap. III. §. XI. p. 71.* Intelligendum vero hoc de regno *infructuario*, cuius modo facta est mentio, non de *patrimoniali*, cuius alienandi ius in Regem a populo esse translatum su- pra diximus *d. cap. III. § XI. p. 77. & seq.*

## X I.

Moni-  
tum 4.

*Quarto*, ait idem Barclaius, amitti regnum, si Rex vere *hostili animo* in totius populi exitium feratur: quod concedo. Consilere enim si- mul non possunt voluntas *imperandi*, & voluntas *perdendi*.

Barclaius *d. lib. III. cap. XVI.* Exemplum in Ca- ligula apud Suetonium in *ei. vit. cap. 30.* Conf. *sup. p. 60. seqq. & p. 103. & 111. add. Coc- ceium in Auton. Iur. Gent. cap. VI. & Palthe- nium in *Diss. de Detronisatione*. Quam vero difficillimum id probatu sit, ostendit Gundlin- gius in *Otia, part. II. obs. VI.**

Quare qui se *hostem populi totius* profitetur, is eo ipso abdicat regnum. Sed vix videtur id ac- cidere

cidere posse in Rege mentis compote, qui *uni populo* imperet.

Furibundi Regis verba in hunc sensum habet Seneca in *Herc. Fur.* ¶. 1390. & in *Herc. Oct.* ¶. 1150.

Quod si *pluribus populis* imperet, accidere potest, ut *unius populi* in gratiam alterum velit perditum, ut *colonias* ibi faciat.

Exempla veteris historiae apud Livium lib. xxviii.  
cap. 39. & lib. xl. cap. 3. Conf. Innoc. Gentiletus lib. iii. contra Machiav. p. 300. seq.  
De Philippi II. in Belgas consilio praeter alios  
videndus Schurtzfleischius in *not.* ad *Epiſt. de Motib. Belg.* p. 25. seqq.

## X I I.

*Quinto, si regnum committatur, sive ex feloniam in eum, cuius feudum est; sive ex clausula posita in ipsa delatione imperii, ut si hoc, aut hoc, Rex faciat, subditi omni obedientiae vinculo solvantur; tunc quoque Rex in privatam personam recidit.*

De nexu regnorum feudali, & feloniae in feudis criminis vid. *sup. p. 96. seqq.* De clausula amittendi imperii itidem *sup. p. 83.*

## X III.

Moniti 6.  
*Sexto, si Rex partem habeat summi imperii, partem alteram populus aut Senatus: Regi in partem non suam involanti vis iusta opponi poterit, quia eatenus imperium non habet.*

*De partitione iurium maiestatis, & summi imperii inter populum & Regem divisione supra actum est p. 68. 84. seqq.*

*Quod locum habere censeo, etiamsi dictum sit, belli potestatem penes Regem fore: id enim de bello externo intelligendum est; cum alioqui quisquis imperii summi partem habeat, non possit non ius habere eam partem tuendi.*

*Atque hac ratione tum Ordines Foederati adversus Hispanos, tum Ordines Hollandiae adversus Ordines Generales temporibus Barneveldianis, a rebellionis criminis, & violatae unionis Traiectinae, absolvuntur. Vid. Auctoris Apologet. cap. 10. & 11.*

*Quod ubi fit, potest Rex etiam suam imperii partem belli iure amittere.*

- *Quia enim ob divisa maiestatis iura pares eatenus sunt Rex & populus: proinde uti ius belli, ita & victoriae, utrisque competere dicendum est.*

## X IV.

## XIV.

*Septimo*, si in delatione imperii dictum sit, ut Moni-  
certo eventu *resisti* Regi possit, etiamsi eo pacto<sup>tum 7.</sup>  
*pars imperii* retenta censeri non possit, certe re-  
tentia est aliqua *libertas naturalis*, & exenta regio  
imperio. Potest autem qui ius suum alienat, id  
ius *pactis* imminuere.

Quae ad h. l. exempla Auctor memorat, non om-  
nia scopo satisfacere Cl. Barbeiracius monuit in  
*not. Gall.* Doctrina vero Auctoris verissima vi-  
detur, & unice intelligenda de iis rebus & factis,  
ubi facultatem resistendi populus sibi praecipuam  
pactus est; in reliquis enim omnem Regi suo fi-  
dem & obsequium, ut ante, deberet.

## XV.

Vidimus de eo, qui ius imperandi habet, aut De inva-  
habuit: restat ut de *invasore imperii* videamus; fore alieni  
non postquam longa possestionē, aut pacto, *ius*<sup>imperiī.</sup>  
*nactus est*; sed quamdiu durat *iniuste* possidendi  
caussa.

*Usurpationis* vitium subiectione *tacita* vel *expressa*  
purgari, imperiumque iustum adquiri ab inva-  
sore posse, infra traditur lib. II. cap. IV. § XI.  
Conf. Pufendorf. lib. VII. cap. 8. & Huberus

R 3

de

15

*de Iur. Civ. lib. 1. sect. ix. cap. 1. add. Moralistas a Grotio citatos in marg. ad h.l.*

Quatenus  
ei paren-  
dum?

Et quidem, *dum possideret*, auctus imperii quos exercet, vim habere possunt obligandi; non ex ipsius iure quod nullum est; sed ex eo, quod omnino probabile sit, eum qui *ius imperandi* habet, sive is est populus, sive Rex, sive Senatus, id malle *interim* rata esse quae imperat, quam legibus iudiciisque sublati summam induci confusione.

Simile quid in *I. Barbarius* 3. *D. de off. Praet.* ad quam videndus Iac. Gothofredus in *pec. dff.* *Conf. de legibus Syllanis* Cicero apud Quintil. lib. 11. *Inst. Orat. cap. 1.* & *Florus lib. IIII. cap. 23.* Quo facit dff. Henr. Cocceii de *Regimine Vsurpatoris*, ibiq. § 48. sqq.

Quatenus  
non?

In his tamen, quae ita *necessaria non sunt*, & pertinent ad raptorem in iniqua possessione firmandum, si sine *gravi periculo* potest non pareti, parendum non est.

Multo autem minus legibus, aliisque ab *Vsurpatore* constitutis, eo expulso populus obligatur; nisi quatenus a *legitimo imperante* post receptum regimen ea rata sunt habita: quo pertinet *Sanctio Pragm. Iustiniani* § 1. 2. 8. &c. Exemplum illustre in actis Cromwellii. Vid. Cocceius *d. l.* & Abichtus in *Diss. de Homag. invas. praest.*

Sed

Sed an talem raptorem imperii *vi deicere* liceat An vi de-  
quaeritur ? *icere* ?

Vid. Pufendorfius & Huberus *dd. II.*

### X V I.

At *primum*, si bello *iniusto*, & cui *Iuris Gen-* Quod ad-  
*tium requisita non adsint, imperium arripuerit,* <sup>fumatur</sup> *bello ma-*  
*neque paetio ulla sequuta sit, aut fides illi data,* <sup>nente.</sup>  
*sed sola vi retineatur possessio: videtur manere*  
*belli ius, ac proinde in eum licere, quod in ho-*  
*stem licet, qui a quolibet, etiam privato, iure*  
*potest interfici.*

Exemplum in *Oropaste Mago* a Persis occiso apud  
Iustinum lib. I. cap. 9. Conf. Forstnerus *ad*  
*Tacit. p. 25. & Boeclerus ad b. l.*

### X V I I.

Idem statuendum censeo, si ante invasionem *Vel iu-*  
*lex publica extiterit, quae unicuique potestatem* <sup>bente</sup>  
*facit occidendi eum, qui hoc aut illud, quod in* <sup>lege.</sup>  
*adspectum cadit, ausus fuerit; puta qui priva-*  
*tus satellitum sibi circumdederit, arcem invase-*  
*rit; qui civem indemnatum, aut non legitimo*  
*iudicio necaverit; qui magistratus sine iustis suf-*  
*fragiis creaverit.*

De

136 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

De *tyrannicidarum* praemiis publice apud Graecos constitutis, legibus etiam hoc fine conditis, praeter ea, quae Auctor attulit, aliisque ad b. l. vid. Meursius in *Pififfr. cap. xiv.* Cautelas hic observandas tradit Boeclerus in *Comm. ad b. l. Conf. Pufendorf. de Oblig. erga parriam § 34.*

X V I I I.

Nec minus licebit invasorem imperii interficere, si diserta *auctoritas* accedat eius, qui *insperante.* verum *imperandi* habet, sive is Rex est, sive Senatus, sive populus.

Quod intelligendum, si nulla populi cum *Vsurpatore pactio* intercesserit, *expressa*, vel *tacita*, pariter ac paullo superius Auctor monuerat § xvi. alioquin enim obtinebunt dicta ab Auctore § xv. num. 1. Exemplum Divitiaci Aedui apud Caesarem lib. 1. *de Bell. Gall. cap. 31.* habet Boeclerus ad b. l.

Vel Regis Tutoris His adnumerandi & Regum puerorum Tutores, qualis Iaso erat Ioiada, cum Athaliam regno depelleret, lib. II. *Chron. cap. xxiii.*

Ita fere etiam Hobbesius in *Leviath. cap. XLIV. p. 296.* eumque sequutus Pufendorfius lib. VII. cap. VIII. § 10. malim tamen cum exemplis tot aliis, vel speciali mandato divino id attribuere, pariter ac caudem Eglonis, *inf. § seq. num. 4.* vel

vel expressae Hebraeorum legi, qua soli ad regnum masculi vocabantur, *Deuteron. cap. xvii.*  
*vs. 15.* Accedebat istius Reginae tyrannis, idololatria, & parricidium. Vid. 2 *Chron. xxii.*  
*in fin.*

## XIX.

Extra haec, ut *privato* vi deiicere, aut interficere liceat summi imperii invasorem, probare non possum: quia fieri potest, ut is qui ius habet imperii, *malit* invasorem in possessione relinqui, quam periculis & cruentis *motibus* occasionem dari, qui plerumque sequi solent iis violatis, aut imperfectis, qui validam habent factionem in populo, aut externos etiam amicos. Certe an rem in id periculum adduci velit Rex, aut Senatus, aut populus, *incertum* est; quorum sine cognita voluntate vis iusta esse non potest.

Illustre est exemplum Nabidis Lacedaemoniorum tyranni, quo usus apud Livium Quintius, *lib. xxxiv. cap. 49.* Plura alia & Grotius *b. l.* & Tesmarus attulerunt. Contrariam Io. Miltoni sententiam Boeclerus refellit tum ad *b. l.* tum in *Museo p. 28.* Perperam vero alii idem in *invasorem* licere, quod in *tyrannum* existimant; quum tamen in hunc *posteriorem*, tanquam hostem publicum, multa liceant, quae in *priore* omnino prohibita. Accurate haec distinxit Vlr. Huber-

rus de *Iure Civit.* lib. 1. sect. ix. cap. 1. § 6. sqq.  
ubi aliam esse tyrannidem usurpatonis, aliam exercitii, aliam ex utraque mixtam, tradit: prima *Pisistratus*, altera *Neronius*, tertia *Phalaris* dicitur.

Non debet movere nos in contrariam sententiam *factum Aodis* in Eglonem, Regem Moabitarum: nam aperte testatur sacra auctoritas, hunc a Deo ipso vindicem suscitatum, *mandato scilicet speciali*.

Vid. *Iudic.* 111. ¶ 15. & *Nehem.* ix. ¶ 27.  
Conf. *Sulp. Severus* lib. 1. cap. 46. Alia est sententia *Jo. Clerici ad Iudic. d. l.* & *Cl. Barbeiracii ad b. l.* Addit *Grotius exemplum Iehu Israëlitarum Regis*, ex lib. II. *Reg. cap. ix. Conf. Osiander ad Grot. b. l. p. 579.*

## X X.

Privatus possessionem sequitur.

Maxime autem in *re controversa* iudicium sibi privatus sumere non debet, sed *possessionem* sequi.

De Christi arguento apud *Matthaeum cap. xxii.* ¶ 21. ex nummi Romani effigie agit *Seldenus lib. vi. de Iur. Nat. & Gent. cap. 17. Conf. Osiander ad b. l. & Tescmarus.* Vid. *sup. p. 106.*

C A-

## C A P V T V.

*Qui Bellum licite gerant.*

## I.

**V**T in aliis rebus, ita & in voluntatis actio Belli cau-  
nibus, tria esse solent efficientium genera, sae effe-  
principales, adiuvantes, & instrumenta. trices-  
tres.

*Voluntatis actiones* Auctor *mora*les intelligit, de qui-  
bus ex professo agit Pufendorffius lib. I. de Off.  
hom. & civ. cap. I. ibiq. Barbeir. & Otto ad  
§ 27.

**Causa effectrix principalis** in bello plerumque I. Princi-  
est is, cuius res agitur: in privato privatus: in pales.  
publico potestas publica, maxime summa.

Vid. *sup. cap. III. § 4. & 5. p. 46. seq.*

An & pro aliis nihil moventibus bellum mo-  
veri ab alio possit, alibi videbimus.

Infra lib. II. cap. xxv.

Illud interim tenebimus, naturaliter quemque  
*sui iuris* esse vindicem: ideo manus nobis datae.

Vid. *sup. cap. II. § 1. num. 4. Ziegleri & Osian-  
S 2 dri*

140 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

dri censura nullius momenti est; neque enim de  
vindicta Auctor, sed necessaria defensione agit.

I I.

2. Adu-  
vantes.

Sed & *alteri prodeesse*, qua possimus, non lici-  
tum modo, sed & honestum est. Sunt autem di-  
versa hominum inter se *vincula*, quae ad mutuam  
opem invitant: nam & *cognati* ad opem fore-  
dam coëunt, & *vicini* inclamat, & qui eius-  
dem *civitatis* sunt participes.

Nullam Iure Naturali esse *licitum* inter & *bonestum*  
distinctionem supra diximus p. 13. De naturali  
hominum cognatione & vinculo vid. Proleg. § xiv.  
Conf. Boeclerus & Gronovius ad h. l.

Sed ut cetera desint *vincula*, sufficit *humanae*  
*naturae communio*: ab homine enim nihil humani  
alienum est.

Terentius in *Heaut.* I. 1. ¶ 25. ibiq. *Calph.* Ci-  
cero *Off.* I. 9. & *de LL.* I. 12. Seneca epist. xcvi.  
Conf. Cl. Westerhovius ad *Tere*nt. d. l.

I I I.

3. Instru-  
menta.

*Instrumenta* cum dicimus, non *arma* hic intel-  
ligimus, & si quae sunt his similia; sed eos qui  
ita agunt sua voluntate, ut ea voluntas *ab altera*  
*pendeat*.

Quo

# L I B E R I . C A P V T V I 141

Quo sensu Aristoteles τὰ ὕγειαν dividit in ἀμφί-  
χα & ἀλυχα, lib. 1. Polit. cap. 3. & Varro  
ub. 1. de Re rust. cap. 17. instrumentum rusti-  
cum aliud *vocale* servum; aliud *semivocale* bo-  
vem; aliud *mutuum adpellat*, uti plaustrum. Pariter  
& Iurisconsulti, uti in l. 8. D. de instr. vel instr.  
leg. Conf. Gronovius ad b. l.

Tale instrumentum est *patri filius*, pars quip-  
pe eius naturaliter: tale & *servus*, quasi pars  
ex lege.

Vid. Aristoteles lib. v. Ethic. cap. 10. Democritus  
apud Stobaeum serm. LXII. Artemidorus lib. 1.  
Onirocr. cap. 2. & 46. & lib. v. cap. 57. Sext.  
Iul. Frontinus in praef. de Aquaeduct. Conf. l.  
4. D. de Inoff. testam. l. 22. C. de Agric. & cens.  
lib. 11. & § 4. Inst. de Inut. stip. addes. Gal-  
vanum de Usufructu cap. VIII. § 8. & seqq.

Nam sicut pars non tantum *pars* est *totius ea-*  
*dem relatione*, qua *totum* est *totum partis*, sed  
hoc ipsum quod est *totius* est: ita *possessio* est  
aliquid ipsius possidentis.

Dialecticorum illam de *toto & partibus* doctrinam ex  
Scaligero de Caus. Ling. Lat. lib. vi. cap. 30. tra-  
dit Gronovius ad b. l. Conf. Piccartus ad A-  
rist. lib. 1. Polit. cap. 4.

Quale autem in familia est *servus*, tale in re-  
S 3 publica

142 POSITIONES IVRIS NATVRAE.

publica est *subditus*, ac proinde instrumentum imperantis.

Differentiis harum relationum supra iam tetigimus  
cap. iv. § 4. p. 109.

I V.

Subdito-  
rum natu-  
ralis ad  
bellum  
obligatio.  
Nec dubium, quin naturaliter *omnes subdi-  
tus* bello adhiberi possint; sed quosdam specialis  
*lex* arcet, ut olim Romae *servos*, nunc passim  
*clericos*: quae tamen *lex*, ut omnes eius generis,  
cum *summae necessitatis* exceptione intelligenda  
est.

De *servis Iure Rom. Levitis Mosaico, & Clericis*  
recentiori *Iure*, tum *Civili*, tum *Canonico*, a  
*militia prohibitis*, praeter Interpp. *ad b. l. con-  
ferri merentur* Balth. Ayala *lib. IIII, de Iure &  
off. bell. cap. 4.* Cl. Espencaeus *hb. II. Digress.  
cap. 6.* & Casp. Zieglerus in *Diss. de Episcopo  
milito.* add. *sup. p. 33. seq.* Contrariam vero  
sententiam, quod *ad Protestantes*, recte tuetur  
Osiander *ad b. l. Vlr.* Zuinglium pro patria in  
acie caesum Sleidanus ex publico Helvetiorum iu-  
re defendit, *lib. VII. ad ann. 1531.* De *In-  
daecis a militia exclusis* vid. *l. 12. & 18. C. de  
Haeret. iunc. l. 20. G. de Episc. and. Conf. Zie-  
glerus de *Iurib. Indaeor. cap. III. § 9.* & Cl.  
Gruberus de *Indaeo militi.**

Et

Et haec quidem *generaliter* de adiutoribus & subditis dicta sunt: nam quae *specialia* sunt, suis locis tractabuntur.

Vid. *inf. lib. II. cap. xxv. & seq.*

F I N I S L I B R I P R I M I .

## E R R A T A.

Pag. 18. in med. post not. XV.

- 12. lin. 4. *leg.* Stoicis.
- 22. lin. 15. *leg.* ad Esaiam h. l.
- 31. lin. ult. *leg.* Canonem.
- 43. lin. 2. *leg.* &c unde.
- 45. lin. 14. *leg.* Immo.
- 54. lin. 4. *leg.* bello.
- 57. lin. 9. *leg.* sui iuris.
- 58. lin. 22. *leg.* neminem alia lege.
- 120. lin. 4. *leg.* abusus.







